I. N.

SIGNAT

SUSPIRAN

In

Abominationibus in

tibus

CALAMITATIBU

EX

EZECHIELIS

CAP. IX. v.

Ulterioris Locô

pro

Consvetâ ac cœpta Met

Exegetico-P

Theologicè e

operâ

M. FRIDERICI

S. S.

CYGNEÆ, Typis S
cIↄ Iↄ C

I. N. J.

ATURA
RANTIUM

In

us indeqve enaſcen-
tibus

TIBUS PUBLICIS

EX

LIS VISIONE

X. v. 3. 4. 5. 6.

Locô Aſcematis

pro

pta Methodo Analytico-
getico-Practicâ
logicè expoſita

operâ

RICI KETTNERI,
S. S. P.

, Typis Samuelis Ebelii.
CIↃ IↃ CCV.

PRÆFAMEN AD LECTOREM
PIUM, BONUM, BENEVOLUM
ideoq;
UT DECET OBSERVANDUM.

QVum nihil magis in deliciis, qvam Sacra Biblia merito habeat pius ac ſedulus Eccleſiæ Miniſter, fateor, & unicæ illi delectationi, Deo *operante*, me hactenus fuiſſe acclivem, qvo Amores hoſce Sacros, uti qvidem merentur, exoſcularer. Eſto, omnibus ac ſingulis æqvalem Gratiam, intimiori S. Philologiæ familiaritate ac eruditione comparata, conſeqvi non licere; eam tamen inſeqvi qvis vitio verteret? Tenuitatis meæ nunqvam non audiar mihi probe conſcius. Aſt enim nec deſpero, qvin bonis bene arriſerit, ſi Scripturæ ampliſſima Sacraria, ſi verbi divini miracula perluſtret, ſi ædificationi qvæ inſerviant, obſervet, ſi vel eo nomine DEO, Proximo ac ſibi ipſi *qvis ipſe*, uſui eſſe ſancte geſtiat. Nemo, niſi extreme impius, ejusmodi pia taxabit ſtudia. Et ſane talium defenſione ſuperſedere poteram, niſi extremi extrema ſeculi urgeret malitia. Cui qvippe ſæpe obſcœna, ſcurrilia & Pſeudo-politica longe acceptiora veniunt iis, qvæ *τὸ θεῖον* involvunt ſecumqve afferunt. Ego & mei ſimiles gratulamur nobis de prægustu cœleſtium, qvam myſteriis DEI invigilando copioſe capimus. Adſtet porro DEI Triunius Gratia! Accipe itaqve B. L. qvod jam pia intentione continuamus. Roga inſimul dominum, ut ſimus inter eos, qvos ſigno Salutis & *Gratiæ* ſuæ notavit. De Vento item Urente ex Jerem. 4. nec minus de ſtrepitu viſcerum DEI ex Dan. 9. materia ſacra jam abſoluta eſt, qvam niſi præſentem dedigneris boni conſulere, proxime dabo, ſi DEUS vitam & viam dabit. Vale & ſuccurre piis Votis

Tui Cupido

AUTORI.

I. N. J.

DE

SIGNATURA SUSPIRANTIUM

Verba Avthentica EZECHIEL. Cap. IX. verſ. 3. 4. 5. 6.

3. ולביד אלהי ישראל נעלה מעל הכרוב אשר היה עליו אל
ספתן הבית ויקרא אל־האיש הלבש חברים אשר קסת הספר במתניו׃
4. ויאמר יהוה אלו עבר בתוך העור בתיך ירושלם והתוית תו
על־מצחות האנשים והנאנחים הנאנקים על כל־התועבות הנעשות
בתוכה׃
5. ולאלה אמר באזני עברו בעיר אחריו והכו על־תחוס עיניכם
ואל תחמלו׃
6. זקן בחור ובתולה וטף ונשים תהרגו למשחית ועל־כל־איש
אשר־עליו התו אל־תגשו וממקדשי תחלו ויחלו באנשים הזקנים אשר
לפני הבית׃

Verſio Ariæ Montani:

ET Gloria DEI Iſrael elevata eſt deſuper Cherub, qvem erat (ſuper qvem) ſuper eum, ad limen domus: Et vocavit (ad) virum indutum lineis, qvi tabula ſcribæ (habebat atramentarium) in lumbis ſuis.

Et dixit Dominus ad eum: Tranſi per medium civitatis, per medium Jeruſalaim & ſignabis (ſigna) Tau ſuper frontes virorum ſuſpirantium & vociferantium ſuper cunctis abominationibus factis in medio ejus.

Et illis dixit in auribus meis: Tranſite per civitatem poſt eum, & percutite: non parcat oculus veſter, nec miſereamini.

Senem, electum, & virginem, & parvulum & mulieres occidetis ad perditionem: Sed ab omnem Virum, qvem (ſuper qvem) ſuper eum Tau, ne accedatis, & a ſanctuario meo incipietis. Et inceperunt in viris ſenioribus, qvi ad facies domus.

Verſio

V. 3. UNd die Herrligkeit des GOttes Israel erhub sich von dem Cherub / über dem sie war / zu der Schwelle am Hause / und rieff dem / der die Leinwand anhatte / und den Schreibzeug an seiner Seiten.

V. 4. Und der HERR sprach zu ihm: Gehe durch die Stadt Jerusalem / und zeichne mit einem Zeichen an der Stirne die Leute / so da seufftzen und jammern über alle Greuel / so drinnen geschehen.

V. 5. Zu jenen aber sprach er / daß ichs höret / gehet diesem nach / durch die Stadt / und schlaget drein / eure Augen sollen nicht schonen noch übersehen.

V. 6. Erwürget beyde / Alte / Jünglinge / Jungfrauen / Kinder und Weiber / alles todt. Aber die das Zeichen an sich haben / der solt ihr keinen anrühren. Fahet aber an an meinem Heiligthumb. Und sie fingen an an den alten Leuten / so für dem Hause waren.

ARGUMENTUM ET DISPOSITIO.

SYnoptica totius capitis Ezechielis IX. ratio hæc est: Jubet DEus, Virum lineis indutum Hierosolymæ signare pios, lugentes peccata populi, signo in frontibus, eo fine, ut signati serventur, reliqvi omnes non signati occidantur. Signatura vero fidelium imprimis à v. 3. usqve ad inclusum 6. Prophetæ peculiari visione in solatium piorum ostenditur. Qvæ Prophetica visio *tantæ est benignitatis argumentum*, ut in qvavis calamitate publica pios roboret ac sufficientissima spe confirmet, DEum non temere aut promiscue Angelis vindicibus permittere, ut, qvoscunqve velint, percutiant, sed nosse Dominum, qvi sint sui 2. Tim. 2, 19. Imo tam firmum ejus signaculum consistere, ut gemitum piorum frontes qvasi peculiari signo notatæ sint, iiqve non venturi in percussionem, qvam reliqvis non signatis impendere dixerat. Contra etiam *tanta est severitatis indicium*, ut nec sanctuario parcendum DEus statuat. Qvin potius Senem, adolescentem, virginem, parvulum, & mulieres ad interfectionem traditum iri, nisi fuerint inter signatos h. e. lugentes dolentesqve super cunctis abominationibus, qvæ in medio civitatis Dominicæ perpetrentur. Analysis versuum qvatuor, utpote 3. 4. 5. 6. de divinitus injuncta obsignatione fidelium talis esse potest, ut scil. consideretur (a) *mandantis Autoritas*

ritas (b) *mandati diversitas. De Autoritate mandantis* iterum notetur, qvod si, 1,) *divina*: gloria domini Israel 2.) *manifestam* per elevationem 3.) *expressa* per realem mandati injunctionem. Vocavit enim virum, qvi indutus erat lineis & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. *Circa mandati diversitatem* describitur (a) *actus*. Transi per mediam civitatem & signa. (a) *Modus* signa תָּו super frontes. (c) *Subjecti affectus*. Ubi duo occurrunt subjecta, gratiæ & pœnæ, gementium super abominationibus. (d) *Effectus*, qvi est; non signati percutiuntur: signati servantur.

I.

De Autoritate Mandantis.

§. 1. ET *gloria Domini elevata est.* Hic primo vides *autoritatem mandantis divinam*. Est enim כְּבוֹד אֱלֹהֵי gloria DEI Israel LXX. δόξα τοῦ θεοῦ. Et sæpe profecto scripturæ in usu est, ut Gloriæ DEI mentionem faciendo nihil intelligat, qvam infinitam DEI sapientiam, clementiam, potentiam, providentiam &c. Universa enim hæc & alia tum attributa, tum opera gloriosa voce כבוד comprehenduntur, ut Ps. 19. 2. Ps. 96, 3. Ps. 102. 16. 17. 1. Paral. 16, 24. Esa. 58, 8. c. 60, 1. c. 66, 18. qvo sensu David DEum appellet: כְּבוֹדִי, gloria mea, ad Ps. 3, 4. de Gemitu Columbæ diximus. Adeoqve כבוד, qvando alias de DEO legitur, non finitam aliqvam dignitatem aut existimationem denotat, sed infinitam ac divinam, qvalis eaqve supra cunctas creaturas eminens Ps. 8, 6. Matth. 28, 19. Joh. 1, 14. Ebr. 1, 13. Christo tribuitur, & in tempore data dicitur significatio activa, qva pro laude apud alios qvandoqve sumitur, hic loci non advertitur. Est autem כבוד à כבד gravis fuit, qvod postea per tropum de gravitate honoris, divitiarum, pretiosorum, imo de anima, qvod sit corporis gloria, Ps. 30, 12. (V. Pagnin. Thes. ling. S. sub hac voce) accipitur.

§. 2. Ex qvibus videre est, gloriam DEI, prout illam in verbo suo ostendit, nihil aliud esse, qvam gloriosam manifestationem vel in operibus & attributis gloriosis, vel in visionibus, qvibus aliqvando suis apparuit. Et hoc modo apud Ezechielem nostrum respiciendum est ad anteced. c. 8, 4. ubi vocatur gloria DEI Israel secundum visionem in campo. i. e. Similis fuit illi, qvam vidit, cum Dominus è Chebar Prophetam educeret in campum c. 3, 22. Qvibus adde visionem primam c. 1, 26. 27. c. 2, 1. Hæc visio similitudinis gloriæ DEI. Qvam qvi pluribus

qvan-

qvantum eqvidem per infirmitatem humanam licet, investigare velit, *videbit* thronum qvasi lapidis Sapphiri similitudinem c. 1, 26. *videbit* in throno sedentem, qvasi hominem in aspectu ignis, à lumbis ejus, & desuper & à lumbis ejus usqve deorsum v. 27. *videbit* qvasi aspectum arcus & splendoris per gyrum v. 28. Hæc visio gloriosa Ezechielis adhuc animo & oculis observatur.

§. 3. Varii enim fuere modi, observante B. Heshusio in Es. p. 37. revelationum divin. 1.) qvando DEus ore ad os loqvitur, 2.) qvando aperit futura per somnium, 3.) qvando futura significat per typos 4.) qvando mysteria revelat per visiones, & ad hunc modum referenda visio Ezechielis. Ubi tamen non opus est curiose inqvirere, sicut Cornel. à Lapid. operosus est, steteritne DEus an sederit in solio illo? Cum sufficiat, in visionibus tantum scire, qvantum DEus nos voluit scire. Tanta verò fuit in hac visione gloria DEI Israel, ut gloriam Regum terrestrium, etsi in majestate sua splendidissime se videndos præbeant, longo, imo infinito post se spacio relinqvat.

§. 4. Ideam totius visionis Cornel. à Lap. his verbis exhibet: Objecta & Phantasiæ Ezechielis Species turbinis à vento Aqvilonari excitati; qvem consecuta est atra nubes: in nubis medio splendidus videbatur currus, habens ignitas rotas qvatuor, easqve vitali Spiritu præditas &, altitudinis horrendæ. *Secundo* rotas circumstabant qvatuor animalia, aut potius qvatuor juvenes alati toti flammantes & scintillantes, qvorum qvisqve ante habebat faciem hominis, à dextris faciem hominis, à dextris faciem leonis, à sinistris faciem bovis, desuper faciem aqvilæ. *Tertio* hi juvenes habebant singuli qvatuor alas, binis volabant femora, binis volabant junctis i. e. pariter & æqvaliter extensis, idqve cum sancto fragore, ut castra diceres te audire collatis signis dimicantia, vel mare ad scopulos allisum, aut tonitruum. Habebant & singuli suas manus. Singuli autem stabant à singulis lateribus currus, puta ad singulas rotas, itaqve qvadrum efficiebant, ac ab omni parte stipabant qvadrigā DEI. *Qvarto* super juvenes cœlum visebatur extensum pellucidum, qvasi crystallus, cui impositum erat solium regale, in qvo sedebat homo, toto corpore splendens & ignitus: habebat enim superne corpus ex electro i.e. ex aurichalco interius ignito; inferne tibias plane igneas, idemqve itidē fulgenti erat circum amictus. *Qvinto* ante hunc hominem inter rotas

erat

erat arula vel foculus ignis v.13. Porro Spiritus DEI agebat tam Cherubinos, qvam rotas & currum directè versus Jerusalem. Hæc Cornelius.

§.5. *Ceterum pia* est qvorundam sententia, qvi per gloriam DEI Israel ipsum Filium DEI hic intelligunt. Sic *Osiander*: Filius DEI, qvi in forma humana majestatis throno insidebat, elevari, ac ad limen templi appropinqvare videbatur. &c. *Sic d.D.Tilem.Heshusius in Esa.f.37.* Sæpe apparuit Filius DEI Patribus, Adæ, Noah, Abraham, Mosi, Manoach, Eliæ, sic & Esaiæ, *& Ezechieli.* Ipsam divinam essentiam non viderunt, neqve Patres neq; Prophetæ. Habitat enim DEus lucem inaccessam. Humana ergo Specie viderunt Dominum. Et meo eqvidem, licet vili judicio, conveniens videbatur hæc sententia, nisi obstare videretur illa, qva per virum linteis indutum, Salvatorem volunt indigitatum. De qvo postea.

§.6. *Dicitur autem* (b) gloria DEI Israel *elevata* de Cherub, ubi vides *autoritatem mandantis condescendentem sive assurgentem.* Scilicet gloriosa DEI persona, adumbrata imagine electrina, qvæ c.1, 27. insidebat currui & throno Cherubinico, ut habet Tirini Paraphrasis, assumta est LXX. ἀνέβη, ascendit. Duo concurrunt (a) *modus* (b) *terminus*. *Modus* exprimitur verbo Niph. נַעֲלָה, qvod est ascendere, elevare se, tolli, ut Num.9,21. nube super tabernaculum se tollente & elevante proficiscebantur Israelitæ; si vero biduo aut uno mense vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filii Israel in eodem loco, & non proficiscebantur. Item de recessione à tentoriis Dathan & Abiran, ne populus cum impiis periret Num.16,27. Eodem sensu Gloria Domini dicitur & h.l. tolli vel elevari, qvandoqvidem super curru mobili se videndum exhibuerat. Qva etiam ratione plurimi putant, per elevationem gloriæ significari currum belli, victoriæ & triumphi, quo qvasi DEus processurus sit in aciem contra populum suum. Qvorsum allegant illud Hab.3,8. Qvi ascendis super eqvos tuos, &c. Ps.67,18. Currus DEI decem millibus multiplex, Ps.76,19. Vox tonitrui tui in rota.

§. 7. *Verum communiter* pertinet ejusmodi elevatio, DEO tributa, ad Species figuræ, qvam συγκατάβασιν l. ἀνθρωποπάθειαν vocamus. Et manifestum est, docente Rittershusio Sacr.Lect.l.1.c.16.p.63. qvod fit in hominibus ad DEum accedentibus, aut ab eodem recedentibus,

hoc

hoc ipsi DEO per tropum qvendam tribui. Id qvod Simplicius, Epicteti & Aristotelis interpres, eleganti comparatione declarat. Qvemadmodum, inquit, nautæ navem, qvam ad littus appellere ac subducere volunt, fune religant ad Petram maritimam, attractoqve fune rupem qvidem loco non movent, sed navem ipsam ad terram hoc modo perducunt: Interim tamen Petra ipsamet ad eos propius accedere videtur nave immota. Verba ipsius Simplicii Græca allegat ex Edit. Venet. A. 1528. p. 78. De his qvæ DEO in Scripturis S. attribuuntur V. Hieron. T. 2. Oper. fol. 53. b. cujus tamen s. Epist. s. Sermonis Erasmus dubitat Hieronymum autorem.

§. 8. *Hoc vero observandum est*, elevationem Gloriæ DEI in hac visione proprie visam fuisse. Plus enim hic est, qvam simplex loqutio, qvalem alias ἀνθρωποπαθῶς explicamus. Visus DEus ut homo, visus in solio: Visus in curru vel qvadriga: proprie igitur & elevata ipsius Gloria videri potuit. Interim totam visionem συγκατάβασιν gratiosam appellare poteris, qva cum propheta homine agens, ad ejus sese captum demittit.

§ 9. *Concurrit porro terminus.* Unde & qvorsum videlicet Elevatio facta? de quo in textu: מֵעַל הַכְּרוּב אֲשֶׁר הָיָה עָלָיו אֶל מִפְתַּן de Cherub ad limen domus. Meal, desuper, ut Arias reddit, de, ut Hieronymus, ἀπὸ, ut LXX. הַכְּרוּב. Probabilem h. l. eorum vocat sententiam Cornel. à Lapide, qvi gloriam Domini interpretantur imaginem DEI electrinam c. 1, 27. qvasi illa à suis Cherubim discesserit, & prosilierit qvasi è suo curru, ut significaretur, DEum à veteri templo & propitiatorio discessurum subito, qvasi moræ impatientem ex ira & indignatione vehementi. Cum Cornelio, ut solet, facit Tirinus & prior utroqve Emanuel Sa: Ascendit de medio Cherubinorum; nempe DEus qvasi iratus & moræ impatiens prosiliit è solio suo in limen domus. Utrum Cherubinos reliqverit elevando se gloria Domini nec ne? parum refert scire. Negat Cornelius. Ascendit de Cherub, non quod Cherubinos reliqverit, sed quod de loco Cherub s. in qvo constiterat, ipse DEus super Cherub, i. e de atrio gentium revolarit vectus sub Cherubim.

§. 10. *Lutherus probe exprimit* verba textus Sacri; Die Herrligkeit des GOttes Israel erhub sich von dem Cherub / über dem sie war / zu der Schwelle am Hause. Et German. Verbum erhub / majestatem, elevationis videtur involvere: sicut de elevatione throni Davidis legimus

gimus 2.Sam.3. 1. de elevatione Adoniæ 1. Reg. 1. 5. de elevatione, super colles Es. 2, 2. Conf. Es. 52. 10. Adeoqve elevatio hæc de Cherub ita intelligenda, ut conveniens Majestati divinæ veniat expositio. Pertinetqve huc regula: Qvæ de DEo prædicantur ἀνθρωποπαθῶς, intelligenda sunt θεοπρεπῶς. Hieronymus: Ivit ad limen, sive ad subdivum atrii domus atqve vestibuli, qvod neqvaqvam tecto premitur sed aëris fruitur libertate. Tom. 5. oper. f. 189. Tirinus: Prosiliit in limen domus, s. templi, scilicet in atrium sacerdotum, ubi stabant Angeli prædicti, qvibus, tanqvam lictoribus suis ac militibus, uti cœpit, ad vindictam de Judæis sumendum. Ex hoc eodem limine templi, rursus regressus est DEus in solium Cherubinicum c. 10, 4. Osiander: ad limen templi appropinqvare videbatur, ut angelis mandaret, qvid fieri vellet.

§. 11. De Ebræo nomine Cherub non indigna sunt observatu, qvæ annotat Hieronymus, cur scil. Angelis tribuantur nomina, modo in genere masculino, ut Cherub, Cherubim, modo in genere fœminino, ut Zabaoth? ad qvod respondet: Nos scire debemus, Singulari numero esse Cherub generis Masculini, & plurali ejusd. generis Cherubim, non qvod sexus in ministris DEI sit, sed qvo unum qvodq; juxta lingvæ suæ proprietatem diversis appelletur generibus. Angeli vocantur numero plurali, Malachim, & Cherubim & Seraphim, ejusd. generis & numeri. Porro Sabaoth, qvod interpretatur militiarum s. exercituum atq; virtutum, dicuntur genere fœminino, numero plurali & desinunt in extremam Syllabam ות.

§. 12. Cæterum nomen Cherub est certi Angelorum ordinis, sunt verba Magn. Geieri in Psalm. 18. 11. p. 275. qvorum simillitudo (ad captum scilicet nostrorum sensuum accommodata) erant pueri vel juvenes, alis superiori corporis parte instructi, velut eos describit Arias Montanus ant. Jud. Dicuntur alati Ex. 25, 19. 1. Reg. 6, 24. Dan. 9. 21. curruum figuram referentes 2. Reg. 2, 11. c. 6, 17. DEus dicitur super Cherubim sedere Ps. 21, 5. 99, 1. ex qvibus & aliis locis nostrum dilucidare poteris, pro majestate, gloriæ Domini, qvam Ezechiel vidit, Buxtorfius in Lexico Talmud. col. 1084. ponit hoc nomen sub rad. כָּרַב arare. Alii vero malunt à רְבָא crevit, deducere. Est enim רַבְיָא puer crescens, usqve ad decimum tertium annum, col. 2185. Et licet hæc deductio, inqvit Geierus, fortasse durior videatur, notam similitudinis esse loco literæ radicalis, tamdiu tamen retinebimus, donec

donec meliora doceamur. Talm. Chagiga fol. 13. 2. Quid est Cherub? Idem quod כְּרַבְיָא Sicut puer. Nam sic in Babylonia vocant puerum רביא. Medios inter Cherubinos, puerorum formam præferentes, DEus dicitur vectus Ps. 18, 11. Eadem ratione inter Cherubinos majestatem suam videndam præbuit, visam elevavit, elevatam reduxit.

§. 13. Illi, qvi elevationem gloriæ DEI de Cherub in limen domus moraliter considerant, *Symbolum recedentis gratiæ* hic dari autumant; vidisse Prophetam gloriam DEI in templo qvasi abiturientem & transmigrare parentem, utpote polluto ob tot idola & scelera in eo commissa, sicut videre est c. 10. & 11. Cornel. à Lap. p. 1015. DEus recedit à Cherubim & propitiatorio i. e. loco placationis, cum vult punire impios Judæos, qvia ejus proprium est misereri, alienum & peregrinum, punire. Qvo fine allegat Fernand. Vision. 15. Sect. 2.

§. 14. Tandem *Autoritas mandantis* ostenditur *tanqvam expressa per realem mandati iniunctionem.* Et dixit ad virum, qvi indutus erat lineis, & ait; ceu vertit Hieronymus. Observa (a) *autoritativam injunctionem* (b) *injunctionis objectum. Injunctionem* peragit Majestas divina *vocando:* Vajikra æth haisch: vocavit ad virum. Qvid præpositione opus est? V. de peculiari constructione hujus verbi cum ל s. Dativo, & accusativo cum ב, אל, על. Buxtorf. p. 689. Non vero infert simplex dicere, sed patheticum vocare: Einem ruffen / sicut Lutherus reddit: Und er rieff dem ꝛc. Contra אמר est dicere: sagen / sprechen: qvod seqvitur: Und der HErr sprach zu ihm. Peragit injunctionem *dicendo*, scil. qvod seqvens mandati argumentum erit, in parte secunda considerandum. Qvodnam est *injunctionis objectum?* Vel: qvis est ille, cui injungit mandatum? Describitur (a) *nomine*: dixit ad virum. (b) *habitu*, indutum linteis (c) *officio*, tabella scribæ in lumbis instructum.

§. 15. Vocatur primo Vir, sicut Sex cæteri qvanqvam hi nomine אנשים appellentur. Hic vero איש v. 2. De Sex illis in propatulo & confesso apud omnes est, fuisse angelos in forma hominum apparentes, eosqve vindices Peccatorum populi, qvia appropinqvaverunt visitationes civitatis, v. 1. (פְּקֻדּוֹת הָעִיר) Malos tamen hos fuisse angelos, s. sex Dæmones, uti Hieronymus opinatur, non patet. Nihil obstat, qvin bonos etiam DEI ministros

ſtros ad vindictam illam adhibitos ſtatuamus. Ita enim ipſe Hieronymus: Qvi malos, ait, percutit, in eo, qvod mali ſunt, & habet vaſa interfectionis, ut occidat peſſimos, miniſter eſt Domini. Ideoqve Theodoretus mavult ſex angelos: Nam unus, inqvit, angelus, centum octoginta qvinqve millia Aſſyriorum occidit, & primogenita Ægyptiorum. Sed hic ob impietatis Judæorum exuberantiam, Sex Angeli vindices mittuntur. Magis autem abſonum eſt à veritate qvando Pradus & Maldonatus hos cenſent eſſe ſex archiduces Nabuchodonoſoris, qvi in porta Jeruſalem ſedentes & urbem obſidentes, primi eam ceperunt, ſcil. Neregel, Sereſer, Semegarnabu, Sarſactim, Rabſares, Rebmag. Jer. 39, 3. V. Joſeph. Antiq. l. 10. c. 10. Verum ipſi Cornelio à Lap. diſplicet hæc ſententia: Nec etiam Chaldæi viderunt, & reſpexerunt unqvam, qvinam ſignati eſſent ſigno Thau, qvi non, ut illis parcerent, hos occiderent.

§. 16. *Numerum* tamen Sex illorum virorum qvod attinet, ſive cum Villalpando, Cornelio & Tirino, juxta numerum Sex archiducum Chaldæorum, ſive cum Polano de tribus urbis Jeroſol. oppidis & ſingulorum binis primariis portis intelligere velis, dubitatio remanebit, an divina intentio eo reſpexerit. Nobis ille numerus perfectionis eſt. Ita Bald. Paſſ. Typ. Typ. 10. part. 2. pag. 512. Sex fuerunt propter exuperantiam delicti. Id qvod de ſuo nobis largiatur ipſe Cornel. à Lap. in Ezech. 40, 14. p. 1201. Ubi Sexagenario numero perfectionem bonorum operum denotari, eruere, ſed neſcio, qvam bene conatur: Senarius numerus perfectus eſt, non qvia (ut volunt Arithmetici) ſuo ordine numeratus perficitur, ut cum unus, duo, tres dicuntur, Senarius impleatur: Vel qvia in tribus partibus dividitur i. e. Sexta, tertia, & dimidia, videlicet, in uno, duobus & tribus: Sed qvia Sexto die perfecit DEus opera ſua. Qvoniam vero peccatori homini legem dedit, qvæ in decem Præceptis ſcripta eſt, & Sex in decem ducta in Sexagenarium ſurgunt. Recte per Sexaginta cubitos bonorum operum perfectio deſignatur. Scilicet *ita Papiſtis loco Principii eſt Arithmetica, unde articulos fidei probent*, qvalis apud eos eſt perfectio bonorum operum. Applicationem nolo: Rem ipſam de perfectione Senarii ex menten Cornelii hic ſupponam, dicens: Tempus viſitationis divinæ jam perfectum adeſſe, ob completam menſuram peccatorum. Ideoqve his viris viſa inſtrumenta interi-

tus

tus in manibus assignantur. LXX. reddunt πέλυκας, secures. Ubi Hieronymus allegat Johannis verba: Jam securis ad radices arborum posita est. Cæterum de Sex plagis impiorum, si numerum senarium scrupulose observaveris, Vide Balduin.loc.cit. f.513.514.

§. 17. Jam qværitur, qvis septimus ille vir, alia plane ratione habituqve depictus, fuerit? Dicitur vir unus in medio illorum fuisse. De habitu igitur ordine agendum: Indutus erat lineis; in Ebræo est; לָבוּשׁ בַּדִּים. Est enim בַּד in singul. cujus plurale hic est linum. Exod.28,41.qvali Aaron cum filiis indutus erat. it. Levit. 16, 4. Tropice sumitur pro mendaciis, fortè qvia mendaces, veritatem obvelant Es.44, 25. Vid. Pagnin. Thes. Ling. S. de hac voce LXX. reddunt ἐνδεδυκὼς ποδήρη, Erat autem ποδήρης una ex octo vestium Pontificis,& ex eo,qvod ad pedes usq; descendat, hoc sortita vocabulum est. Latine dicitur *Talaris*. Et mittit hic Hieronymus lectorem ad explanationem libri sui de veste Pontificis,fol.189. Plane itaqve distinctus hujus viri erat à cæterorum habitu. Illi enim apparebant in vestitu militari & armis ad puniendum & occidendum: Hic contra togam qvasi sacerdotalem habebat, utpote (qvod addit Cornel. à Lap. p. 1014.) qvi supplicaret pro redimendis à strage Chaldæorum & Salute dignis,eosqve qvasi notarius signare atramento.

§. 18. Ex eo qvasi *officium* patet,qvod hujus viri erat, dum *atramentarium scriptoris in lumbis habet*. In Ebr. dicitur קֶסֶת qvam vocem Aqvila primum & Theodotion dixerant κάστυ. *Sed cum ab Hebræo qværerem*,ait Hieronymus,*qvid significaret, respondit mihi Græco sermone appellari καλαμάριον,ab eo qvod in illo calami recondantur. Nos atramentarium ex eo, qvod atramentum habeat dicimus. Multi significantius thecas vocant,ab eo,qvod thecæ sint scribentium calamorum.* Aberrant igitur LXX. vertentes Καὶ ζώνη σαπφείρου ἐπὶ ὀσφύος αὐτοῦ. Et in nostro textu: ὃς εἶχεν ἐπὶ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ τὴν ζώνην. Tirinus addit: Et ex Zona pendebant instrumenta Notarii. Consentiunt omnes penè Lexicographi קֶסֶת esse atramentarium scribæ. Et sic qvoqve Junius cum Tremell. reddit: Cum atramentario Scribæ ad lumbos suos. *Officium ergo viri s. delegati hujus est,ut scribam se præstet.*

§. 19. Hæc ut tandem,qvantum fieri potest, componamus, superest dicere,*qvis per Scribam hunc intelligendus veniat?* Etenim distinctũ fuisse ab angelis vindicibus, & peculiare nomen & habitus & officium probant. Non erat angelus vindex s. iræ,sed angelus gratiæ. Si

ad literam diceremus, ministerio boni angeli DEum ad servandos suos usum fuisse, nihil videbatur adversari, nisi habitus forte sacerdotalis. Qvin etiam, si per gloriam DEI Israel, in forma hominis throno insidentem, Filium DEI intelligas, dubium videri poterat, an convenienter idem ipse in forma Notarii coram throno venire possit? Tollere tamen hoc dubium videtur glossa Junio-Tremelliana: *Non movet nos, qvod multi existimant, unum Christum non posse variis figuris in uno viso adumbrari: Cum enim varia sint officia Christi, qvæ res unica non potest adumbrare simul, certum est, Deum pro misericordia infinita sua, cum in visionibus extra ordinem exhibitis, tum in ordinariis legis ceremoniis eundem Christum propter varia officia & beneficia erga nos figuris variis repræsentasse*, ut, ex. gratia: Idem est altare, idem sacrificium pro peccato, idem holocaustum, idemqve munus &c. Qvæ omnia universe & absolutissime in Christo posita particulatim adumbrari necesse fuit, propter infirmitatem nostram. Hoc igitur modo Christus (qvi est imago DEI conspicui) idem cum Patre & Spiritu S. insidet solio, idemqve homo secundum eam conditionem, qva minor est Patre, mandata accipit, exeqvitur & sistit se Patri.

§. 20. Qvare cum omnes fere videam in pia illa & devota sententia Christum angelum fœderis, qvippe qvi unus auctor gratiæ, obsignationis & Salutis nostræ, h. l. indigitari, tantum abest, ut absim, ut potius eadem devotione delecter. *Novimus Christum hominem.* Qvid est, qvod amictus veste lintea apparet? scil. tanqvam Sacerdos noster, summa præditus innocentia, qva tegit peccata electorum. *Linum de terra sumitur, vestis autem linea fuit candida, qua notatur humana ejus natura, qvæ & ipsa terrea fuit massa, sed pura, candida & immaculata; in qva imprimis sacerdos ille secundum ordinem Melchisedech æterno parti complacuit*, qvæ sunt verba Balduini p. 516. *Novimus Christum mediatorem.* Qvid est, qvod in *medio* angelorum vindicum stetit? Ipse non tantum in *medio* Ecclesiæ apparet Apoc. 1, 13. verum etiam in *medio* plagarum mundi, præservans suos ab ira ventura. *Novimus Christum Notarium suorum. Novit, qvi sint sui 2. Tim. 2.* imo sicut olim summus sacerdos, stabat cum thuribulo in *medio* interfectorum, & pro populo deprecabatur: Ita Christus, tanqvam Sacerdos expiationem facturus pro suis in *medio* plagarum se mediatorem & Notarium sistit, qvos interpellatione sua apud Patrem sit servaturus, & ab impiis distincturus. Qvid? qvod & alibi Scriptura Christo tribuatur? v. g. in terrâ Joh. 8, 1. 3. 4. In manu Es. 49, 16.

Joh.

Joh.10,28.In corde Jer.31,33.Cur non æqve in fronte hujus loci? Efferat Cœlius Rhodiginus l.4.antiqv.Lect.c,3.Scripturæ laudes: qvid scil. ea magnificentius? qvid æqve mirandum? id esse homini datum, in qvod ne mortis qvidem avida rapacitas jus ullum habeat? Longe majus est, qvod in laudem artis scriptoriæ hic ab exemplo cœlestis scribæ accipimus.

§.21. Non possumus vero, qvin simul falsam opinionem Cornel. à Lap.h.l.removeam, qvi dicit: *Fuit ad literam hic vir, angelus tutelaris piorum Judæorum.* Qvod unde ostenderit, nullus video. Transeat inanis traditio! Retinemus interea cum piis Patribus & doctoribus, imo & cum adversariis, piam expositionem, qva Christum significari h.l.credimus. Sic *Hieronymus: Ipsum unum, qui habebat indumenta Pontificis, Salvatorem intelligunt juxta id, quod Sacerdos est & magni consilii angelus.* Sic *Gregorius* 22.Moral.13. *Vir vestitus lineis est Redemptor noster, qvi etiam de tribus sacerdotali Parentes aliqvos habuit.* Linea enim erat vestis Sacerdotum, significans puritatem conscientiæ, qva pollere debet Sacerdos. *Vel certè* inqvit, *qvia linum de terra, non autem, sicut lana, de corruptibili carne nascitur: Ipse autem indumentum sui corporis ex matre virgine, non autem ex corruptione commixtionis sumpsit, profectò ad nos vestitus lineis venit. Et atramentarium scriptoris ad renes ejus. In renibus posterior pars corporis est. Et qvia ipse Dominus, postqvam pro nobis mortuus est, & resurrexit, & ascendit in cœlum, tunc testamentum novum per Apostolos scripsit, atramentarium ad renes habuit. Qvi enim scripturam Novi Testamenti, postqvam decessit condidit atramentarium qvasi à tergo portavit.* Sic *Irenæum & Rupertum* etiam ad literam per virum hunc Christum intelligere, testis est Cornelius *Ita Vinariensis:* Es war einer unter ihnen (der Sohn GOttes in Menschen Gestalt) Probat idem *Calov.* in Ezech.ad h.l. cum *ab habitu*, tum *ab officio* hujus angeli. Prætermitto suffragia Papistarum & Calvinianorum qvæ ibid. vide. Cornel.à Lap. Typum saltem appellat: *Typus fuit Christus, qvi mediator fuit inter DEI justitiam & homines salvandos.* Tirino est allegoria, cum tamen typus plus sit qvam allegorica, Qvicqvid tandem horum sit, esto, ad literam qvosdam malle angelum qvendam creatum intelligere, typum tamen admittent, qvandoqvidem omnia congrue in Christum qvadrent. Qvid? Si Christum vero ipsum in forma hujus viri intelligas; neqve devotionem piam taxabis, qvæ fidei universæ est analoga, & magnam consolationem parit; Neq; Majestati Filii Dei derogabit, qvod de statu Exinanitionis in carne intelligitur.

II. PARS.

§. I. HÆc de autoritate mandantis. Succedit ecce *mandati qvalitas s. diversitas*, circa qvam describitur (a) *Actus. Transi per medium civitatis*, per medium Jerusalem. Qvod elevatione Majestatica gloria domini qvasi præfiguravit, id actione sua gestuqve exprimit, tum minister gratiæ, cum Minister iræ divinæ. Videlicet, adesse nunc terminum pœnæ præstitutum, elevare se DEum ad puniendum, ita tamen, ut qvibusdam velit parcere, qvippe qvod actu viri *transeuntis & obsignantis* innuitur.

§ 2 *In qvo consistit Actus mandati?* Resp. in *transeundo*. עבר, v.g. sicut flamma transibat inter divisiones s. partes vaccæ triennis, Gen. 15, 17. *Et inde postea*, inqvit R. David ap. Pagnin. *mos pacti erat, ut transirent, qvi pactum inibant, inter divisiones animalis vel volatilis*, qvod diviserant ex Deut. 29, 12. Sic idem verbum Amos 7, 8. adhibetur de simili transitione divina: Non addam ultra transire illi, vel ut pertranseam eum i.e. illius prævaricationes, qvin illas puniam. Targum: ut parcam eis. Verbo: Transitum hunc gratiæ DEus suis adhuc largitur, ut obsignentur, & à calamitate præserventur, æqve, ut transeunte Angelo Ægyptum percutiente, Israeliticæ servabantur, qvorum fores sangvine agni Paschalis illinitæ Ex. 12, 7. 13.

§. 3. (b) *Terminus per qvem* est medium civitatis Hierosolymæ. בתוך העיר בתוך ירושלם i. e. per medium civitatis, per medium Hierosolymæ. *Primo κατ' ἐξοχὴν* vocatur civitas per Synedochen generis, ut vocant. Eratqve alias עיר אלהים Psal. 46. 5. Ps. 48, 2. Ps. 101, 8. nimirum: ubi Dominus nominis sui constituerat memoriam, ubi cultus vigebat publicus, ubi judicia exercebantur vice & jussu DEI Suprema, ut adeo merito jure civitas secundum eminentiæ gradum vel civitas DEI appellaretur, ferme sicut Ethnici qvoqve civitatem ab eo solebant denominare idolo s. Numine, qvod illic colebatur v.g. urbis Minervæ, vel Pallados i.e. Athenæ v. Geier. in Ps. Tom. 2. p. 434. *Deinde per Speciem* expresse nominatur civitas Hierosolyma, eleganti adhibito Schemate, qvod forte Epizeuxin vel Anaphoram voces, ob repetitum verbum ejusdem soni: bethoch hahir betoch Jerusalaim. Gehe mitten durch die Stadt/mitte durch Jerusalem. Qvanta cæteroqvin hujus civitatis celebritas & excellentia fuerit, non indiget operosa probatione. Ipsæ sacræ literæ eam prædicant metropolim Judææ Jos. 18, 26. Jud. 19, 10. 1. Chron. 11, 4. habitaculum DEI 1. Reg. 8, 1.

2. Pa-

2.Paral.6,2.c.7,16. civitatem sanctam Matth.4,5.c.27,53. Multinomiam hanc urbem fuisse, docet Pineda in Ecclesiast.p.69. Vocatur: Jerusalem, Solyma Ierosolymia, Sion, Filia Sion, Moria, Terra visionis, Bethel, Luza, Ariel, de qvibus & aliis, putatitiisqve nominibus urbis sanctæ prolixus est Pineda l.c.p.69.80. imprimis de nomine Jerusalem, an simplex sit nomen? p.71. qvæ hujus vocis partes? p.72. à qvo impositum nomen Jerusalem? p.74. qvæ sit recta ejus nominis inflexio & lectio? p.75. Qvid arcani lateat in Hebraica inflexione? ibid. nim. Jerusalaim, qvæ inflexio etiam in nostro Ezechiele occurrit. *Nam qvæ natura bina sunt*, inqvit, p.75. *terminantur in Aiim. Ergo hæc terminatio significabit qvasi duplicem Jerusalem, qvippe duplex civitas videtur, & inter res, qvæ natura bina sunt, referenda. Sic Paulus cœlestem & terrestrem sæpe nominat. Josephus urbem superiorem & inferiorem i.e. civitatem David, & alteram qvæ ad illius radicem inferius tendebatur, qvod Schindlerus & alii seqvuntur. Vel respectus est ad montes duos illos celebres, Sion & Moria*, qvod de suo adjicit Pineda, apud qvem vide, si libet, plura.

§. 4. Verum qvid est: *per medium civitatis?* num recta ita transivit vir per civitatem, ut semper medium s. centrum observandũ esset? Nota, תָּוֶךְ l. תוך non præcise designare rei medium, vel centrum, verum id, quod non est extra rem, licet inæqvaliter distet ab extremis. Jos.3, 17. 2.Reg.4,13. Psal.136,14. Sensus ergo est: Intra civitatem, & qvos inveneris, quiqui fuerint, modo lugeant & suspirent super abominationibus istis, illos signa. Adeoq; in termino jam instantis pœnæ Deus gratiæ suæ adhuc memor respicit ad pios Davidis posteros, non tam sangvine, quam fide, qui ei succedebant.

§.5.(c) *Actum excipit modus. Et signa Tau super frontet.* וְהִתְוִיתָ. Præterit. in Hiph. Radix est תָּוָה signare, scribere, adhibetur. Numer.34,10. De metatione finium terræ sanctæ 1.Sam.21,13. De Davide ficto furore scribente super fores portæ. Luth. Und stieß sich an die Thür am Thor. Osiand. Impingebat in ostia. Junius: Signabat valvas portæ. (an forte huc German. Idioma: Er hat die Thür gemessen / quod in joco vel cadenti vel impingenti dicitur?) De circumscriptione Populi Israelitici qua Deum in deserto ad iram concitarunt Ps.78,41. id qvod sane magnum dementiæ, insaniæq; documentum erat. Unde Kimchi: *limitaverunt ipsum* q.d. *posuerunt ipsi limitem in corde suo hoc potest facere, sed hoc facere neqvit.* Ex his aliisq; acceptionibus colligere promptum est, talem h.l. innui signationem, non qva Deo ponerentur termini aut

ipsius potentia circumscriberetur, sed qva hostium limitaretur invasio, ne promiscue qvoscunq; vellent, percuterent, verum eos saltem, qvi signo salutis carerent. Nimirum sicut Judæi signabant lapidem sepulchralem, Matth 27,66. ne clam auferretur è sepulchro Christus, prout eqvidem metuebant: sicut servi Dei signantur Apoc. 7,3. ne tempore Antichristianæ calamitatis deficiant (V. Ursin vom Zustand der Seelen p.23.) ita simili ratione Deus jubet suos signare, ut secuti qvasi delitescant, nec cum impiis percutiantur.

§. 6. Et *qvalis ista fuerit signatio*, addito nomine ejusdem significationis declaratur. Vehithvitha thav: Signa signo LXX. καὶ δὸς τὸ σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα: i. e. signo nota frontes. *Signa signo* i. e. diligenter signa. Calov. in Ezech. anti Grotian. Hic video à plurimis interpretibus, nomen hoc non nominaliter, sed Symbolice exponi qvasi literam Thav in frontibus piorum signari DEus jusserit. Verum cum contra sint, qui arenoso niti fundamento putent, ת crucem notare, measq; has esse conjecturas, de utraq; sententia non nihil afferemus, cum de ea, qvæ in pia conjectura consistit, tum illa, qvæ suum qvoqve sensum in re nominis exhibet. Inter ipsos nostrates priori assurgit B. Balduin Pass. Typic part. 2. Typ. X. p. 520. Hieronymum & alios, ut fatetur, secutus: *Neq; piaculum erit*, inqvit, *si statuamus, Virum illum atramento signum hoc T. (qvi in veteri Hebræorum scriptura character literæ postremæ Thau fuit) frontibus sanctorum inscripsisse.* Sic Osiander. *Significat Dominus, suorum curam gerere, qva litera thau sunt, signati h. e. qvi fide crucifixum sibi Christum applicarunt. Litera enim, si juxta veterem scribendi consvetudinem Hebraicam (sic nimirum T.) pingatur, cruci non est absimilis.* Interim non approbatur superstitio Papistarum, qvi externo crucis signo Dæmones fugari & propemodum nihil non effici posse nugantur. Hoc enim magicum est, non Christianum. *Hieronymus* T. 5. f. 189. b. annotat, *Theodotionem in translatione ipsum verbum Hebraicum retinuisse* תיו, *qvæ extrema est apud Hebræos viginti & duarum literarum, ut perfectam in viris gementibus & dolentibus scientiam demonstraret. Sive, ut Hebræi, autumant qvia lex apud eos appellatur* תורה, *qvæ hic in Principio nominis sui litera scribitur: illi hoc accepere signaculum, qvi legis præcepta compleverant.* Sed hic sensus ex traditione potius illatus qvam ex argumento innatus est. Pergit vero Hieronymus ad alias conjecturas; in Ebræis literis qvibus usqve hodie Samaritani utantur, extremam literam Thau crucis habere similitudinem, qvæ in Christianorum frontibus pingitur, & freqventi

manus

manꝰ inſcriptione ſignatur. 2.) Alios putare, qvoniam litera Thau ſiti extrema in alphabeto, qvod demonſtretur in multitudine peccantiũ reliqvias ſupereſſe ſanctorum. *Origenes* de hoc loco ſimilia profert; *Cum interrogaremus Hebræos, an aliqvid Patrium haberent, qvod nos docerent de Thau, ab eorum qvodam accepimus, Thau poſtremum eſſe ex viginti duobus Hebraicis Elementis, atq; repræſentare eos, qvi perfectam ſcientiam legis divinæ haberent, &c. Alius vero dicebat: Symbolum eſſe Thau eorum, qvi legem ſervaverant. Tertius vero qvidam eorum, qvi in ſalvatorem crediderant, dicebat vetuſta illa elementa ſimilem habere Thau literam Salvatoris characteri atq; figuræ, & prædici ſignum qvod in fronte inter Chriſtianos efficitur cujusq; operis initio.*

§. 7. Ac mirum qvantum ſibi plaudunt Pontificii de inventa hac ultima expoſitione. Probat enim Cornel. à Lap. non tantum verſionem Theodotionis, Chaldæi & Vatabli, ſed etiam meliorem & veriorem vocat verſionem LXX, Symmachi, Syri & Arabis, qvi ſimpliciter reddunt: *pone ſignum* (Iis annumeramus præter Lutherum, noſtros Vinarienſes, Junium & alios) Porro id confirmat ex eo, qvod DEus, qvando in re ſimili ſignum dedit, certum dederit, idqve non ſolum qvæ tunc fiebat, liberationem, ſed ejus qvoqve antitypum ſignificarit. Tandem colligit, cum apud Priſcos Hebræos litera Tau crucis figuram habuerit, crucem hic dari ſignum liberandorum à nece, æqve ac ſalutis per Chriſti crucem conſeqvendæ. Taceo, qvod de Tau Ægyptii Serapidis pectori in ſignum futuræ vitæ inſcripto citat. Taceo, qvod & Græcis & Latinis Tau Symbolum vitæ, Theta mortis fuiſſe oſtendat. (Qvo de videri etiam poteſt Cœlius Rhodig. l. 10. antiq. Lection. c. 8.) Hæc eadem, qvæ prolixe habet Cornelius, Tirinus, ut ſemper ſolet, contractim arripit, additq; ex Salmerone, putare nonnullos; *Beatos omnes in cœlo pro frontibus inſigniendos cruce, qvaſi teſſera & trophæo Chriſti, qvo teſtentur ſe merito crucis ipſius cœlum poſſidere.*

§. 8. Imo abominandum plane abuſum Pontificii hinc ſatagunt ſtatuere, tradentes, ſe cruci Chriſti maximum honorem tribuiſſe, ſi imaginem aut externum ſignum crucis, qvod in fronte aut aëre pingitur, ſacrum & venerabile habeant. Nam ita ſcribit *Bellarm.* l. 2. de imagin. Sanct. 29: *Reſtat ſignum crucis, qvod in fronte vel aëre pingitur, vel ſuper quascunq; res digito exprimitur: qvod ſignum ſanctum & venerabile, &c. Coſterus*, poſtqvam in Enchirid. c. XI. de myſterio crucis egiſſet, p. 356. de utilitatibus ſeqventia annectit. 1.) *qvod ſignum crucis ſit oblatio, qva nos noſtraq; omnia hoc ſigno DEO offeramus*, 2.) *eſſe efficacem orationem*. 3.) *eſſe con-*

juvationem ad depellendum dæmonem. 4.) *excitari spem nostram & fiduciam remissionis peccatorum.* (En! hic fiduciam remissionis externis signis volunt excitare, de qva alias dubitare jubent, neminemq; dicunt, posse certum esse.) Hoc tamen placet (utinam eo fine fieret semper, nec cum alia forsan vana persvasione!) qvando addit: *Morituris exhibetur crux Domini, ut de suis meritis diffisi, eo potissimum tempore, qvo gravius à dæmone ad desperationem tentantur, Spem suam omnem in crucifixo ponant, cujus meritis & passione petant juvari*: p. 358. (cur ergo cœci ductores, in vita docetis, meritis bonorum operum vitam æternam impetrandam, de qvibus in morte jubetis diffidere?) Qvin imo ex hac opinione religiosæ venerationis imago crucis adorari jubetur in papatu, & Cruci festum singulare institutum ab Innocentio VI. anno Domini 1360. (en antiqvitatem novi catholicismi Romanorum!) V. Stapleton. in prompt. Cathol. part. 2. p. 101. de crucibus collo gestandis, p. 105. de ligno crucis p. 103. (ecce! non enim, qvi pependit in ligno, sed lignum intelligunt! qvid enim opus ei erat, lignum adorare, nisi ad idola, qvi degenerat? an ligna idololatrica nulla fuerunt, qvæ olim figuram Dei vel Symbolorum divinorum habuerunt? Non ergo sufficit intentio, nisi adsit divina jussio. Superstitionem hanc Papicolarum refutat B. *Balduinus* Pass. Typ. I. c. p. 359. & Amesius in Bell. Enerv. Tom. 2. lib. 6. c. 6. p. 250. 251.

§. 9. 1.) *Distingvendum* est inter *Rhetoricam* Patrum pro homilia *acclamationem* & inter *religiosam adorationem*. 2.) Distingvendum inter *materiam* & *virtutem* crucis. 3.) Distingv. inter *virtutem crucis* & *ipsius crucifixi*, per qvem sanctificata fuit. Ita & nos petimus: Dein Creutz laß seyn mein Wanderstab. Sed qvis tam absurdus erit, ut, materiam ligni apprehendendo, per mortem transire posse asserat? sin ipsam virtutem crucifixi in cruce intendis, materiam fidei habes, qvam corde apprehendi, magis opus est. Simile Abdias refert in vita S. Andreæ, qvod crucem suam his verbis allocutus fuerit: *Salve crux, qvæ hic stas, tamdiu me expectans. Latus accedo. Novi enim tuum Secretum, novi mysterium. Video in te, quæ mihi à Domino meo promittuntur. Recipe me, ô electa crux, qvi tam humilis sum propter DEum, & redde miserum servum tuum Domino suo.* Qvasi vero, nisi extreme temerarius, dixerit: Andream adorasse crucem suam? v. Dorsch. Religion. Scrup 8. p. 155. 156.

§. 10. Verum ad nostra redimus. Superest de *altera sententia* dicere, qvi de signo qvalicunqve in genere exponunt. Primo certum

est,

est, in Ebræo textu non literam ת vel T. etiam in antiqvissimis Codicibus reperiri, sed nomen תו, qvod est signum in genere, sicut Job. 31, 35. Ipsi qvoqve Rabbini ita exponunt. Porro licet piam illam conjecturam, qva talem, admittamus, de fundamento tamen si qværatur, in ipsis sacris literis nullum habemus, qvod signo ejusmodi materiali signatio facta fuerit. Addo rationem visionis. Et apud ipsum Origen. Hieron. aliosqve Patres nihil invenimus præter relationes ab aliis haustas, illum aliter, istum aliter hoc signum exposuisse. Salva igitur aliorum & autoritate & judicio, placere videtur *media qvasi sententia*, qvæ de signo qvodam Salutis hoc accipit, qvod ratione formæ, qvia in Sacris non definitur, temerarium est, certo ac infallibiliter statuere. Pia nihilominus est sententia, qvam non contemnimus, imo & ipsi eatenus amplectimur, qvatenus ut pia devotio, non ut infallibilis rei sic actæ certitudo, traditur. Sufficit, signo isto notatos servatum iri, qvippe qvi maximis visionis scopus est. *Ita Vinarienses*: Zeichne mit einem Zeichen des Heils/wie Exod. 12, 13. *Sic Junius*: Signo salutari, qvale fuerat in Ægypto factum. Geierus in Ps. 78. p. 1626. *Arenoso nititur fundamento* תו *notare crucem, & literam* ת *olim crucis gessisse figuram, qvæ improbitate Judæorum postea mutata. Sed meræ sunt conjecturæ.* Accipimus ergo has conjecturas non *in totum*, sed *in tantum*, qvantum ad pietatem, sicut à Balduino & nostratibus fieri solet, adhibentur: at qvantum ad superstitionem ea pontificii abutuntur, dicimus, conjecturam in totum nihil probare, nec eo fundamento niti, qvo adversarii putent. V. Calov. annot. Anti-Grot. in Ezech.

§. 11. Summa: Concludimus 1.) cum B. Bald. piaculum minime esse, si qvis priori devotioni acclamet 2) tamen, cum Hieronymus saltem, qvod alii putent, Origines item, afferant, nec textus sacer literam solam (mirum tamen, cur Tigurini, qvi ad Ebræam veritatem Biblia vertisse gloriantur, in Germania versione ponant ת. cum in Ebræo sit, nomen תו) exhibeat, sed nomen potius, nulli dicimus illam opinionem obtrudendam 3) Cornel. à Lap. probandum est, versionem suam altera meliorem 4.) Verum est, signa significasse simul liberationem mysticam. Sed eadem significatio hic concedi potest, non obstante, an nescias signi figuram, nec ne? fuit nihilominus signum. 5) Qvæ de figura crucis & literarum afferuntur, devotæ applicationi, non probationi inserviunt.

§. 12. Succedit (d) *subjecti Affectus s. qvalitas* eorum, in qvibus signatio

 tio

tio facienda. *Super frontes* videl. *suspirantium & vociferantium super cunctis abominationibus factis in medio ejus. Cur super frontes?* Sive, ut in Ebræo est עַל־מִצְחוֹת. Similem signtaionem videre est Apoc. 7,3. nec locustæ lædant, donec signentur Servi DEI in frontibus suis. Ubi Aretius: *Tribuitur*, inqvit, *Signum frontibus qvia frons hominis primo occurrit, tanqvam pars omnium manifestissima. Adeoq; vult DEus gratioso illo signo manifestare, quod à se signati nulli calamitati succumbant.* Imo, sicut Rhodigino teste, l. 5. c. 31. Servi olim Domini sui nomen aut stigma inustum in corpore, ac præsertim in fronte gestabant: aut sicut milites auctorati compungebantur in cute, referente Vegetio: Vel sicut Joachimus Abbas apud Cornelium de Jacobitis annotat, qvod candenti ferro impressum frontibus signum crucis circumferant: Ita servi DEI signo salutis singulariter notati Domino DEO suo curæ erunt, ne trucidentur. Vide de stigmat. militum Ursin. Anal. volum. 1. l. 1. c. 57. p. 89. Servorum c. 60. p. 95. idololatrarum c. 61. p. 97 98. Ridiculum est, qvod Cornel. à Lapide signationem hanc simul ad confirmationem extendit p. 1047.

§. 13. Sed qvinam illi, qvorum in fronte signum locandum? Vocantur *suspirantes & vociferantes* super cunctis abominationibus. Observa *qvalitatem* & *paucitatem*. *Gementes igitur, dolentesq; salvantur*, ait Hieronymus, *qvi non solum malis non consenserunt operibus, sed & aliena planxere peccata, secundum quod & Samuel planxit super Saul, & Paulus super his, qui post peccatum non egerunt pœnitentiam.* 1. Sam. 16, 2. 2. Cor. 5. (fol. 89. b.) In Ebr. est הַנֶּאֱנָחִים. nam R. אנח non invenitur, nisi in Niphal, observante Pagnino. Invenitur Es. 24, 7. de gemitu eorum, qvi ante hac lætati fuerant Thren. 1, 8. de gemente Hierosolyma devastata. Alterum nomen est וְהַנֶּאֱנָקִים (& vociferantium. Radix est אנק, ejulare instar saucii, sicut c. 24, 18. Ezechielis, unde nomen אֲנָקָה, qvod occurrit de ejulatu captivorum. aut alioqvin afflictorum Mal. 2, 13. de lacrymis & fletu altare Domini operiente Psal. 102, de gemitu vinctorum Ps. 11. 6. Nec prætermittenda est iterum in textu S. occurrens anaphoræ, vel si mavis antanaclaseωs aut homœoptoti elegantia, ob sonum eundem iteratum in utraq; dictione hanæænachim vehanæænakim, ita, ut solum literæ ח & ק invicem mutentur.

§. 14. Et describitur *doloris & gemitus causa*. Sc. I. super abominationibus factis in medio civitatis, i. e. qvi non communicaverunt de abominationibus, sed omnino easdem aversati, ingenti dolore & suspirio

rio affecti fuerunt, cum viderent, tam temere legem & verbum DEI violari, tam impie contra voluntatem altissimi agi, tam horrenda idololatria aliisqve sceleribus iram Domini provocari. Visione autem jam capitis antecedentis 8. Deus indicaverat sceleratissimam & confertissimam Judæorum Idololatriam, ob qvam etiam supplicia dicebat eventura, *tum lamentabili strage* contra oppidanos, præterqvam electos DEI; *tum etiam horrendo igne*, qvi DEO auctore in civitatem tempore expugnationis erat exarsurus; *tum promiscuis per Judæam cædibus, tum deniq;* (qvod fuit maximum *profectione DEI* abdicantis Hierosolymam.

§.15. *Talis abominatio* visa in *sede idoli Zelotypiæ* v. 3. i. e. Baalis illius, cujus Achaz, altare, Damasceno simile, fabricandum curaverat, & altare æneum Jehovæ adhibuerat suo Aqvilonem versus, totum deniqve cultum DEI à sacerdote in illo exhiberi mandaverat 2. Reg. 16, 10. qvæ postea per Hiskiam qvidem omnia eversa, sed per Manassem restituta 2. Reg. 21, 3. iterumqve post Josiam instaurata per Joachasum & fratres 2. Reg. 23, 31. V. Junium. Vocatur hoc idolum in German. versione Lutheri: Ein Bild dem Haußherrn verdrießlich. Meretur hic observari Crameri expositio: GOtt war der Hauß-HErr zu Zion. Es. 31, 9. da er Feuer und Heerd hatte. Wie es nun einen Hauß-Herrn sehr verdreust/ wenn man wider seinen Willen sein eigen Hauß einnehmen und ihn zur Thür hinaus stossen wolte: Also hat es auch Gott sehr verdrossen/ daß sie ihm sein Hauß eingenommen/und wider seinen Willen allerley Abgötterey darinnen aufgerichtet. Darum ists auch kein Wunder/daß GOTT seines eigenen Stifftes nicht verschonet/sondern dasselbe wieder zerstöret hat.

§.16. *Talis abominatio* porro visa ad *portam atrii* alterius v. 7. ubi Propheta per parietem jubetur fodere & aspicere abominationes pessimas, qvas ibi faciebant v. 8. 9. Ecce autem omnes formas reptilium & jumentorum detestandorum, omniumq; stercoreorum Deorum Domus Israel: expressum opus in pariete ipso circumqvaq; v. 10. item, qvomodo LXX. Seniores Israel, cum Jasania stante in medio, qvisq; suum thuribulum habebant v. 11 i. e. ministrabant. In qva abominatione varia horrenda occurrunt 1.) cultus rebus creatis & impurissimis & abjectissimis, ex Ægyptiorum consvetudine, exhibitus. 2.) Atrii profanatio, qvod extranei à gente Levitica atrium invaderent. 3.) stercoreorum DEorum veneratio. 4.) scandalisatio per seniores & primates Israelis. 5.) securitas & obstinatio, qvasi non sit Jehova, qvi

vide-

videat. Ideoqve dicuntur facere mysteria sua in tenebris, cujusmodi apud Græcos (Junio h.l. annotante) Cereris Eleusiniæ apud Romanos Bonæ Deæ, & apud Ægyptios Osiridis Sacra Pamylia, qvæ à Persarum voce Mithriaca vocat Lampridius in Commodo: ex qvibus hic cultus & seqventes tanqvam ex fœderatis ad Judæos manaverant.

§.17. *Talis abominatio mulierum deflentium Thamus* v. 14. V. qvæ hic de Adonide habet Hieronymus: *Qvia juxta gentilem fabulam, in mense Junio Amasius Veneris, & pulcherrimus juvenis occisus & deinceps revixisse narratur, eundem Junium mensem eodem appellant nomine, & anniversariam ei celebrant solennitatem, in qva plangitur a mulieribus qvasi mortuus & postea reviviscens canitur atq; laudatur* f. 188. b. Alia congerit Cornel. à Lap. p. 1011. ex R. Sal. & R. Dav. *Tammuz fuisse Idolum concavum, cujus oculos plumbo implebant, quod accenso intus igne liqvefiebat, & imago videbatur flere.* Ex R. Mose de Pseudopropheta, cui nomen Tammuz, & à rege qvodam interfecto ib. Junius vero de Osiride, viro Isidis explicat, qvem amissum in Ægyptum qvotannis defleri Isis mandaverit. V. Not. ad h.l. Consentit Paradus, putans tamen, Adonidem esse ipsum Osiridem, qvo de forte dubitabitur. Illud h.l. cum Celeberrimo Heinsio Exercit. S. N.T. l. 1. c. 20. p. 79. Edit. Lugd. 1639. observari meretur, mirifice à Cœli Domino ad abominationem suam nomen Adonidis transtulisse Satanam. Qvid enim sit אדון & אדוני, punctarum ut nomen ineffabile, qvis nescit? Ezechieli תמוז, qvem eodem modo, qvo apud Theocritum, mulieris deflent. Qvicqvid sit, nefanda & horrenda fuit abominatio, qva etiam mulierum vitia describuntur, postqvam Principes & seniores Israel qvid facerent, monstratum est.

§.18. Sed hac adhuc *major abominatio* ostenditur v. 16. viginti qvinqve virorum, qvorum posteriora obversa erant templo Domini, facies autem orientem versus ad adorandum Solem directa: qvæ *qvarti sceleris narratio* est; qvod Judæi proxime DEum & sanctuarium ejus constituti de industria aversabantur DEum & aversi Solem colebant pro DEO. Nonne igitur hæc scelera nomine abominationum veniant? DEus ipse excandescens, infit: *an levius est qvicqvam visum Domui Judæ, qvam facere abominationes istas?* v. 17. Merito igitur vocantur תועבות à תעב abominari, aversari, detestari aliqvid ex peculiari nausea, instar eorum, qvi cibum aliqvem fastidientes, vix præ oculis aut naribus, nedum in ore, ferre ipsum possunt Ps. 106, 40. Ps. 107, 18. aut qvomodo ulceribus acsanie fœtentem abominantur sani Job. 9, 31. c. 19.

31. c. 19,9. c.30, 3. it. qvomodo detestari debemus anathema Deut. 7, 26. V. Geier. ad Ps. 5,7. His ergo abominationibus DEO nauseam crearunt Israelitæ, ut postea fastidiret hæreditatem suam, ut dicitur Ps. 106,40. Veruntamen habuit DEus reliqvias qvasdam sanctorum superstites. Hi dolentes & gementes super istis vocantur: i.e. juxta Hieronymi expositionem: *Qvi non solum malis non consenserunt operibus, sed & aliena planxere peccata*; Secundum qvod & Samuel planxit super Saul 1. Sam. 16.

§. 19. *Qvantitatem* s. numerum reliqviarum istarum qvod concernit DEO noti fuerunt sui, qvos reservaverat, ne genua flecterent idolis. Tirinus: pauci admodum erant v.g. Jeremias, Baruch, Urias, Rechabitæ & qvidam alii. His signum salutis imprimitur in fronte, ad modum fidelium servorum, qvi nomen vel stigma heri gestare solebant, de qvo antea.

§. 20. *Hoc de subjecti affecta.* Restat *effectus* cum *ratione τῦ injuncti fieri tum ratione τῦ facti esse* considerandus. *Mandati effectus, qvantum adhuc in fieri*, consistit a) *in transitione*, Transitive per civitatem אַחֲרָיו post eum: Luther: Gehet diesem nach. Observa: *præcedit Angelus gratiæ, qvem seqvuntur iræ ministri.* Sic semper præcedit gratia DEI seqventem iram. Neminem vult interire, qvi modo gratiam præcedentem adhuc amplexus fuerit. Nobis ergo incumbit ambulare post DEum, non post idola, qvæ Phrasis est Deut. 4,3. c. 6,14. c. 8,19. c. 11,28.

§. 21. (b) *In percussione*: וְהַכּוּ Et percutite, LXX: καὶ κόπτετε. Verbum נָכָה, percussit, læsionem omnis generis designare, adhiberiqve solet v.g. de pœna diluvii Gen. 8, 21. de alterantibus & rixantibus, qvorum alter alterum lapide vel pugno percutit Ex. 21, 18. de pestilentia Num. 14, 12. de Davide percutiente Goliathum lapide 1. Sam. 17, 49. de homicidio 2. Sam. 3, 27. cum Joab Abnerum in ingvine percuteret. De vento & aurugine, qvibus DEus hortos & vineas percutit, Amos. 4, 9. Imo etiam de Sole, radiis suis Jonam percutiente Jon. 4, 8. v. Psal. 121, 6. de sole percutiente. *Qva ratione*, sunt verba Geieri in Psal. 102, 5. p. 441. *vis ærumnarum ingens comparatur tum sævæ manuum percussioni, tum vehementi radiorū solarium adustioni, qui fruticem præcipue succisum diutius incumbendo faciunt langvidum, exsuccum, flavescentem, tandemqve prorsus aridum & friabilem.* Percutere idcirco ministri iræ, divinæ dicuntur qvocunq; genere pœnarum, & bello & peste & fame, aliisq; calamitatibus, donec similes fiant incolæ civitatis

fœno,

fœno, qvod amputatum ardore Solis exsiccatur: Similes primo orbi diluvio pessundato: Similes Goliatho à Davide prostrato. In specie tamen de occisione exponunt hoc verbum Tigurini: Würget / qvo sensu respiceres ad Chaldæos jamjam irrupturos. Sed cum mox in textu aliud seqvatur verbum, qvod occisionem notet, præstat hoc in genere exponi de qvacunqve percussione, cum certum notumq; sit, tempestate bellica varios varie percuti, & raro ulla calamitas sola inveniatur.

§. 22. (c) *Furoris emissione*: non parcat oculus vester: nec misereamini. Scilicet ita provocarunt Israelitæ DEum, ut c. 8, 18. propterea facturus sit factum in excandescentia: *non parcet*, inqvit, *oculus meus, neqve utar clementia: Et qvamvis clament in auribus meis voce magna, non exaudiam eos*. Elegans occurrit Prosopographia de furore iræ. Qvemadmodum hominem furibundum in cæde cum videmus, oculi ejus qvasi ignei apparent, nec parcunt, nec miserentur ullius; Hinc optime hic qvadrat illud Savedræ: *Præ oculis ira.* V. Bonæ manductio ad cœlum p. 82, 83.

§. 23. Seqvitur etiam *furoris specificatio, qvoad genera singulorum & singula generum*, ut ita dicam. *Non parcet, aut miserebitur oculus Senum.* זָקֵן Usurpatur alias hoc nomen pro titulo dignitatis, uti observat Seldenus l. 1. Synedr. p. 549. Et uti Magn. noster Geierus de hoc nomine disserit ad Ps. 105, 22. Intelliguntur magnates, in dignitate publica constituti, qvi ut plurimum annis solent excedere eos, qvibus præficiuntur; experientia qvippe, judicium, morumqve gravitas, nonnisi annorum aut ætatis beneficio ordinarie acqviritur. Unde factum, ut titulus s. nomen aliud dignitatis hautqvaqvam omnino reperiatur æqve priscum simul ac diffusum, & tam diversimode ad dignitates ejusmodi indicandas adhibitum, qvam זְקֵנִים, πρεσβυτέρων, seniorum. Hinc LXX. retinent nomen πρεσβύτεροι. Gen. 50, 6. ascendisse cum Josepho ad sepulturam Patriam dicuntur omnes ministri Pharaonis זִקְנֵי domus ejus & omnes זִקְנֵי terræ Ægypti, Exod. 19, 7. Convocatur זִקְנֵי, ubi Targ. Hierosol. Sapientes Israel. Levit. 19, 32. honora Personam זָקֵן Senioris. Tamen ne videantur tantum senes nobiliores percutiendi, sciendum est, & de sene qvocunqve in genere nomen hoc usurpari Zach. 8, 4. Senes & anus. Et verbum זָקֵן significat in genere senescere Gen. 27, 1. Ps. 71, 18. usqve ad זִקְנָה senectutem & canitiem. Jos. 23, 2. Ego senui: Ich bin nun alt worden.

Es. 20.

Ef.20, 4. opponitur pueris. De illis dicunt Talmudici: Senex in domo, testa fracta in domo, vetula in domo, thesaurus in domo. v. Buxt. Lex. Talm. col. 1445. Et in Jevammoth fol. 104. 1. i. e. סנדל שלזקן העשוי לכבודו Sandalium senis factum ad honorem ejus, id est, ad involucra mortualia, ut eo induatur in Sepulchrum col. 684.

§. 24. *Deinde non parcet oculus adolescentibus.* In Ebr. est בָּחוּר delectus à bachar, elegit, sicqve juvenem appellari putat Buxtorfius, qvasi ad omnes operas selectum. Legitur de juvenibus item 1. Sam. 26, 2. Ps. 148, 12. Ezech. 23, 6. 2. Chron. 36, 17. inde בְּחוּרִים, juventus, qvasi ætas selecta. Apud Rabbinos deinceps per Synechdochen Speciei est Juvenis, studiosus literarum & doctrinæ, qvi simpliciter & absolute nobis vocatur studiosus: בחורים studiosi, R. Aben Esra: *Est juventus ætatis pars ad qvælibet peragenda solertissima*, ap. Buxtorf. Lex. Talm. col. 287.

§. 25. *Tertio nec parcet Virginibus.* בְּתוּלָה notat maturam, nubilem & adhuc integram virginem, sicut Rahel Gen. 24, 16. Jer. 31, 4. Virgines Israelis Psalm. 148, 12. Nam qvemadmodum c. 8, 14. mentio fit mulierum deflentium Thamuz, ita dubium non est, qvin idololatricæ matres filias etiam suas assvefecerint ad ejusmodi mysteria malitiæ.

§. 26. *Qvarto nec parcet parvulis.* טַף, parvulus dicitur tam de maribus, qvam fœmellis. Nempe qvemadmodum Simeon & Levi in civitate Sichem in iræ furore nec parvulorum miserebantur Gen. 34, 29. Ita similem fore Hierosolymæ calamitatem DEus prænunciat. Nec ipsum propterea crudelem aut sangvinarium vocare licebit. Qvod si enim juris qvoq; gentium est delicta publica in totis familiis puniri v. g. crimen læsæ majestatis. V. Matth. Theatr. Histor. p. 59-148. qvid ni divinæ Majestatis vindictam, iniqvitatem Patrum in filiis visitantem, justam prædicemus? Ex. 20, 5. Vetus Scholiastes: *Infantes v. felices erant, qvorum malam educationem & animæ interitum DEus morte præcidebat.* Plutarchus: *Sicut Ischiaticis medici pollicem adurunt, & cum alibi doleat, alibi admovent remedium: ita Deus nonnunqvam ut Patres sanet, sævit in filios.* Sunt tamen qvi h. l. ejusmodi intelligunt pueros, qvi male instituti erant, & jam in malitiam parentum consentiebant. v. Bald. Pass. Typic. p. 522. Qvod si maxime infantes qvoqve in cunis intelligas, utiqve Deo nulla tribui potest injustitiæ culpa Ex. 34, 7. qvia nemo in-

 nocens.

nocens. Iis tamen parcit, qvi signum habent, inter hos procul dubio etiam infantes fuere.

§. 27. Tandem *nec mulierum erit respectus*. Unde & mulieres, & qvare נשים? qværit Buxtorf. p. 491. Radix est נשה, oblitus fuit. Putant ergo obliviosas dictas, qvod minus memoria valeant, qvam mares, aut qvod in illis oblivioni detur & extingvatur Paterna familia, sicut è contrario Mas à memoria dicitur זכר, qvod majori memoria polleat. *Qvosdam vero*, ait *deducere* malle ab אנשים per Apocopen, qvod mulieris caput sit vir. De mulieribus in præsentiarum recte dicitur, eas ab oblivione nomen habere, nam oblitæ erant DEI Patrum suorum, aversæ ad idola. Confer c. 8, 14. de mulieribus deflentibus Thamuz. Qvum ergo & ipsæ præcipua pars sint cumulatæ culpæ, erunt & præcipua pars pœnarum. Imo in calamitatibus, sicut privatis, ita publicis habetur Sexus ratio. v. qvæ hic allegorice habeat Hieronymus f. 189 b.

§. 28. (d) Consistit *effectus mandati, qvantum ad fieri*, *in occisione*. Occidetis ad perditionem. LXX. ἀπολέσατε εἰς ἐξάλειψιν i. e. obliterationem s. deletionem. Ab ἐξ & ἀλείφω, ungo, oblino. Unde ἐξάλειπτρον ungventarium apud Poll. & Suidam. In Ebr. est למשחית. Significat autem maschchith corruptionem, perditionem, vastationem, 2. Reg. 23, 13. Itaqve tam crudeliter grassabuntur viri vindices, ut tota civitas per omnes plateas qvasi vastanda fuerit, ut omnes & singuli perdantur, præterqvam signo salutis notati.

§. 29. (e) Tandem *fit mandati effectus* qvoad fieri, *limitatione*. Sed ad omnem virum, super qvem Thau, ne accedatis. אל־תגשו. Ne appropinqvare qvidem debent. Est enim Radix nagasch, accessit, appropinqvavit. Num. 8, 19. 2. Sam. 1, 15. Hinc Junius: ne accedito te. Lutherus eleganter: Der keinen solt ihr anrühren. Conf. Psal. 91, 7. Etiamsi ab utroqve latere periculum ingravescat, etiamsi funera conspicias ipsismet tuis oculis non citra horrore, commiserationemve insignem, ad te ipsum non (יגש) accedat. Huc historia apud Baronium T. 2. annal. An. 301. n. 34. 35. de angelo liberante Theophilam virginem à stupro. Additur vero:

§. 30. *Incipietis à meo sanctuario*. h. e. à templo meo. LXX: à sanctis meis. Ad qvod Hieronymus: *vel sacerdotes significat, qvi versabantur in templo, & adorabant idola: vel eos, qui pro sacerdotii merito sancti vocabantur in populo: & qvi fuerant in populis causa peccati, primi meruere supplicia.*

Tem-

Tempus enim est, ut judicium incipiat à domo DEI. Cornel. à Lap. ex Theodor. *Primo Sacerdotes mihi consecratos occidite, ut qui gradu & scelere excellit, etiam reliqvos supplicio præcedat, ut qvibus occasio fuit ruinæ, exemplum sit necis.* p. 1019. Sic Jerem. 25, 29. in qvem locum V. Hülsem. p. 601. Et sine dubio intendit DEus in sacerdotes, Pseudo prophetas & optimates idololatras, qvi cæteris scandalum dederunt. B. Balduinus l. c. hanc rationem exhibet p. 524. In sancto templi loco omnium maxime erat abominatio (2. Paral. 36, 14.) Hæc dum viderat Ezechiel c. 8. 20. Jam igitur audit præcipi lictoribus, ut LXX. seniores, qvi reptilibus sacrificabantur primum omnium interficerent in sanctuario, pergentes postea ad reliqvos in atrio, & ita Domum sanctam cadaveribus implerent. Hæc pars typi nihil notat, qvam qvod DEus ne qvidem ministris suis nec loco sancto parcit, in qvo ab eis peccatur. Nam ex justo DEI judicio plerumqve semper *locus peccati sit locus judicii*: & longe gravior manet eos pœna, qvi in loco sancto peccant, prætextu religionis, in qvo alios à peccatis dehortari, & bono exemplo prælucere debuissent.

§. 31. Cæterum de nomine קודש vel מקדש, illud & istud non raro idem notare ac DEO consecratam vel personam vel locum, notum esse potest ex Exod. 29, 44. Levit. 18, 12. Num. 16, 5. 7. Ex. 22, 31. Levit. 21, 6. 2. Paral. 23, 6. c. 35, 3. Es. 8, 28. Pertinet huc sanctitas Israelitarum externa, qvæ in appropriatione DEI præ aliis consistebat Ps. 114, 2. Sensus igitur etiam talis enascitur: A sanctuario meo incipite: in genere & in specie. *In genere:* à populo meo mihi consecrato. *In specie:* à sacerdotibus. Et seqvitur hac qvoqve ratione:

§. 32. *Effectus in facto esse.* Cœperunt ergo à viris senioribus ad facies domus. Scilicet cum à septuaginta illis, uti Vinarienses LXX. ἀπὸ τῶν ἀνδρῶν τῶν πρεσβυτέρων v. 11. *tum à viginti qvinq;* v. 16. Ita de prioribus exponit Junius: de posterioribus Cornel. à Lap. & Tirin. Vocantur viri seniores (anaschim hadsenakim, de qvo nomine supra.) Scil. qvi gradu & scelere excellebant, etiam reliqvos supplicio præcederent, dignum & justum erat. Et passim hic seniorum scelera insectatur Propheta, qvia hi junioribus erant causa peccati ruinæq; & qvia erant obstinati incorrigibilesqve. Qvæstionem hic profert Cornel. à Lap. ex Ambrosio Leonis c. 285. Problem. Cur senes non corriguntur, ut juvenes? ac respondet: an qvia senes duri sunt ob desiccatum corpus, Spiritum & animam? Durum autem manens, est & im-

immutabile. An qvia juvenibus vel una vel altera ætas super est? Hac enim omnia fere mutari consvetum est, &c.

§. 33. Concludo verbis Hieronymi: *Occiduntur viri seniores, de quibus supra legimus, qvod haberent thuribula, & adolerent idolis incensum. Nec est ulla templi religio, qvia offenso religionis DEO contaminata sunt omnia, ut unde peccatum, inde judicium sit.* Corrigit idem ipse LXX. qui pro Hebr. החצרות in v. seq. 7. posuere vias: Atria complentur cadaveribus in templo, non viæ, qvæ utiqve foris erant. Addit tamen: Nisi forte vias intelligere possimus plateas civitatis. Nec audere poterant angeli contaminare templum sangvine mortuorum, in qvo prius habitabat gloria DEI, nisi hoc recedentis gloriæ Dominus præcepisset. *Omnis qvi peccato mortuus est, contaminat atria templi, & vias urbis Domini, in quibus vivit, qui cum Christo resurgens vivus esse desistit.* Hæc Hieronymus.

§. 34. Sed qvid est adhuc: *ad facies domus?* Hoc exponitur vers. seq. 7. qvem vide. Contaminate Domum, & implete atria vulneratis. *Facies* igitur *domus* sumitur *pro atrio domus*, per Metaphoram s. translationem, sicut facies est pars anterior.

Praxis.

§. 1. *Varia est Gloriæ divinæ manifestatio.* V. D. Müll. Theolog. Schol. c. 16. §. 285. Modi qvibus DEus patefacit gloriam suam, sunt *duo generales*: *Unus per effecta* sufficientiæ ac excellentiæ ejus convenientia Ps. 19, 1. Joh. 1, 14. c. 2, 11. *Alter per signa*, eaqve *vel ordinaria*, ut verbum Matth. 17, 2. Luc. 2, 9. *vel extraordinaria*, ut h. l. visio Ezechielis in V. T.

§. 2. *Major est Gloria DEI Israel, qvam gloria regum mundi.* Celebrent historiæ thronum e. g. Magni Mogolis V. Er. Fr. Sittenspiegel l. 2. p. 467. Celebret ipsa scriptura thronum Salomonis 1. Reg. 10, 18. 19. Pharaonis Gen. 41, 40. Ahasveri Esth. 1, 2. nihil est hoc omne, si respicias solius DEI gloriam super Cherubinis apparere. Huc illud Ps. 104, 4. Qui facis ministros tuos flammam ignis.

§. 3. *Si tanta fuit gloria in visione temporali, qvid olim erit in Visione autoprosopica?* Hic apprehensio DEI tantum consistit *in visione speculari & ænigmatica*, qvalis scil. viatoribus conceditur, qvanqvam etiam gradus suos admittat; Ibi vero erit *visio intuitiva*, qvæ angelorum & beatorum 1. Cor. 13, 12. Scholastica alia, qvi velit, de visione hac beatifica, consulere potest D. Müll. l. c. 8. e. g. de objecto visionis i. e. essentia divina §. 1. 101. p. 103. item, an qvi videt DEum, necessario videat omnia, qvæ sunt in

DEO

DEO? §. 103. p.109. Porro de modo comprehensivo §.106.p. 113.V.Loc. de vita æterna. Speciatim de visione beatifica.

§. 4. *Magna est DEI erga nos miseros homines benignitas, qvod ad captum sese nostrum toties tamq; benigne demittit.* Humana simulat DEus, ut homo divina intelligat. Elevari de loco in locum videtur omnipræsens, qvando omnipræsentiam illius creatura non capit. *Est & hæc elevatio secundum effectum sui generis intelligenda, qvæ regula alioqvin in figura anthropopathiæ locum habet.* V. Abd. Prætor. de Phras. Ebr. p.4.

§. 5. *Etsi Deus ad tempus qviescere videatur, venit tamen tempus vindictæ, ubi elevatur.* Huc, qvod in textu Symbolum belli aliqvi qværunt, elevari gloriam Domini, idem esse ac processurum qvasi DEum in aciem contra populum suum. Eqvidem vindicta humana sæpe præcipitat. V. Aret. Probl. Tom. 1. p.658. sed contra tardus ad vindictam DEus procedit, in longanimitatem semper propensus. Cur vero peccata non semper cito puniantur? V. Franz. de interpr. SS. p. 216. Et D. Chrysost. hom. 26. in Gen. multis hoc argumentum tractat, *omnem pœnam DEI esse temperatam misericordia ejus.* V. L. de justitia & ira divina.

§. 6. *Elevatur quoq; DEus, qvando elevatur, de locis gratiæ in limen Domus.* Ita h. l. ascendisse de medio Cherubinorum legimus. Nonne tempestate bellica vastatio templorum, altarium, cœmeteriorum & similium locorum sacrorum exemplum præbet? Ubi hactenus gratiose qvievit, ibi postea juste prosilit in limen i. e. migrat verbo & sacramentis, ingratitudine nostra irritatus. Patet id hodie miseria Evangelicorum Ungariæ. V. L. de persecutione.

§. 7. *Incomparabilis est DEI majestas, vel ex solo Cherubinorum comitatu.* His undiqve & ubiqve stipatus DEus qvasi peculiari vehiculo vehitur Ps. 18. 11. Inde & curruum figuram deferunt 2. Reg. 11, 11. cap. 6, 17. Imo sellæ vicem exhibent Altissimo Ps. 99, 1. ut instar regis solio plane singulari insideat Ps. 80, 2. Cæterum ex sacris liqvet 1.) Cherubinos esse angelos creatos, Gen. 3, 4. 2.) habere imagines juvenum alatorum Ezech. 10, 8. 9. 3.) præbere typum Prophetarum, Apostolorum & doctorum Ecclesiæ, v. Luth. in gloss. ad Ezech. l. c. 4.) nonnunqvam sumi materialiter de artificiosis figuris Cherubinorum præsentatis Exod. 36, 35. 1. Reg. 6, 23. V. L. de Angelis.

§. 8. *Caveamus, ne gratiam DEI, adhuc commorantem in templis & terris nostris, sceleribus offendamus, ut ne transmigrare paret.* Semper hæc in mente versemus nostra, cum Chrysostomo hom. 27. in Gen. p. 81. Edit.

Kerb.

Kerb. ut ad continuam gratiarum actionem mentem nostram compellant, tametsi tot sint, ut mens nostra non sufficiat ad comprehendendum & enumerandum magnam, qvæ nobis contigit, illorum ubertatem. Atqve ut succinctius dicam: Qvemadmodum maris fluctus, qvamvis iterum atq; iterum conemur, enumerare nunqvam poterimus; ita neq; beneficiorum DEI, qvæ in nostram contulit naturam, varietatem. V. Loc. de gratia & beneficentia DEI. Item de nostra gratitudine.

§. 9. *Semper præsto sunt DEO ministri, qvibus vel mandata gratiæ vel iræ injungat, utraq; hominibus sive piis sive impiis afferenda.* Refert Ælianus l. 14. c. 49. p. m. 208. Philippum clarissimorum hominum filios sibi ministrare jussisse. Hic vero DEO videmus servire non filios hominum, sed angelicas virtutes, dominationes & potestates Col. 1, 16. in qvem locum v. Flac. Gloss. p. 989. Beza: *Invisibilia iis exornat nominibus, qvibus summa qvæq; inter homines significantur: minime id qvidem,* (ut Dionysii illius more) *de rebus, qvas nec novimus, nec scire expedit, curiose garriamus, sed ut ex Spirituum præstantissimorum collatione intelligamus, qvam infinita sit Christi* (DEI) *præstantia &c.*

§. 10. *Imprimis etiam sunt angeli ultores, ac scelerum vindices, qvos Deus non raro adhibet.* In medio sex ejusmodi vindicum unus ille fuisse dicitur. V. Bellarm. de Ascens. ment. in DEum grad. 9. p. 157. *Postremum officium angelorum est, ut sint etiam milites vel duces armati ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Angeli sunt, qui civitates infames igne & sulphure concremarunt; qvi primogenita totius Ægypti occiderunt; qvi multa millia Assyriorum uno impetu postraverunt Angeli erunt, qvi in die novissimo segregabunt malos de medio justorum.* Ergo diligant viri pii cives suos angelos sanctos: horreant impii potentiam angelorum, ministrorum iræ DEI omnipotentis &c. V. L. de officio Angel.

§. 11. *Ipsis vero viris vindicibus interjungitur angelus gratiæ.* Cujus indumentum ipsum erat Symbolum gratiæ, qvippe linteis induti. *Sicut enim* (Cornel. à Lapide in Exod. p. 581. observante,) *linum erat in sacerdote Symbolum patientiæ, qvemadmodum & sanctitatis, ubi ponderosissima* Nazianzeni verba ex Orat. 18. allegat: *ita non incommode patientiæ divinæ & longanimitatis summæ existit argumentum.* V. L. de Grat. & longanim. DEI, de qva V. D. Müll. himl. Liebes-K. c. 18. p. 565. Geier. post. part. 2. p. 323.

§. 12. *Modo habitu militari s. Sagato, modo togato & sacerdotali nobiscum agit Deus.* i. e. modo gratiose, ut Pater, modo severe, ut Judex. V. Luther.

Tom.

Tom. 1. Altenb. in Explicat. Prim. Psalm. Pœnit. p. 26. Facit hoc contra illos, qvi (apud Salvian. l. 1. p. 7. de Guber. D.) ajunt, *à DEO omnia prætermitti, qvia nec coerceat malos, nec tueatur bonos, & ideo in hoc seculo deteriorem admodum statum esse meliorum: bonos qvippe esse in paupertate, malos in abundantia: bonos in infirmitate, malos in fortitudine.* Etenim si Pater est, nec bonis semper erit misera passio; si judex, nec malis semper feliciter succedet impia actio. V. L. de judicio divin. de veste milita. i V. Dempster. ad Rosin. c. 10. p. 1639.

§ 13. *Etsi atramentario materiali DEus minime indigeat, annotari tamen humano more singula cum singulis jubet.* Simili ratione in Sacris fit mentio librorum DEI e. g. universalis Psal. 139, 16. Apoc. 5, 1. judicii Dan. 7, 9. 10. Apoc. 20, 12. vitæ Exod. 32, 32. Dan. 12, 1. Ps. 69, 29. Phil. 4, 3. Apoc. 3, 5. c. 17, 8. c. 20, 12. c. 22, 19. V. disp. nostram de libro vitæ, qvam Wittebergæ olim habuimus. Verum enim vero nec libro nec atramentario materiali indiget Altissimus. πάντα γὰρ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. Ebr. 4, 13. Sed scriptura loqvitur κατ' οἰκονομίαν & συγκατάβασιν. Ita Procopius: ἀνθρώποις γὰρ οὖσιν ἀνθρωπίνως ἡ γραφὴ διαλέγεται. Adde h. l. visionis naturam, qvæ dum Notarium repræsentat, repræsentat qvoqve instrumentum Notarii.

§. 14. *Delectationem maximam efficit, si ipsum DEI filium in hac συγκαταβάσει officio mediantis Notarii functum credamus.* De variis visionum Propheticarum gradibus videndus est Cornel. à Lap. in Procem. Prophet. p. 7. Scilicet alios esse aliis perfectiores, perfectissimumqve omnium fuisse illum, si persona videretur in Specie DEI, ut Esa. 6. Nos perfectissimarum etiam visionum genus illud fuisse dicimus, qvando DEI filius in specie hominis patribus apparuit. *Apparuit autem non καθ' ὑπόστασιν, sed κατ' ἐνέργειαν* i. e. *saltem per assistentiam humanæ naturæ, qvia solubilis erat, & personalis in plenitudine temporis futuræ tantum aliquod præludium,* ceu verba habent τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις Kromaieri Præceptoris nostri in Theol. Polem. art. 2. p. 156.

§. 15. *Minime vero fundata est Papistarum de Angelo tutelari opinio.* Becanus, Cornel. à Lapide, Tannerus & alii Papistæ id pro certo habere volunt, Michaelem in V. T. Synagogæ Judæorum præfuisse, nunc autem toti Ecclesiæ præesse: Singulis etiam regnis ac Provinciis peculiarem angelum præpositum statuunt. Qvibus respondet Calov.

Systém.

Syſtem. Tom.4.q.6. p.80. 1.) à Scripturæ ſilentio. 2.) à contrario exemplo 2.Reg.6 3.)à malorum angelorum plurali numero in aulis Dan. 9. 4.)à Poëtarum & Philoſophorum commento. 5.)ab ipſius Cajetani & aliorum Pontific. dubio V.L. de Angel.

§.16 *Angeli increati, ſi de præſenti dubites, etiam in pluribus aliis locis mentionem invenies.* Vid. angelum monitorem Gen. 16, 13. angelum, hoſpitem Abrahami Gen. 18, 1. 13. angelum Lothi hoſpitatorem, c.19, 17. & alibi Gen.21, 17. c.22, 11. c.31, 12. c.48, 16. c.32, 28. Ex.3, 2. c.14, 19. de qvibus ſingulis Locis v. Calov. l.c. p.214. contra Angelolatriam Papiſtarum, it. contra impugnat. Deitatem Socinian. it. contra Remonſtr. Reform. Calixt.

§.17. *Specialis eſt Tranſeundi gratia, qua Deus in calamitate publica ſuos qvaſi præterire jubet*, i.e. non ſinit attingi malo immiſſo, ſed cuſtodit, in media tempeſtate. De ſignificatu verbi (tranſire) forenſi, vide alias Althamerum de Trop. p.184. Hoc in loco notat gratiam liberationis ſ. ſpecialis cuſtodiæ medias inter claves v.g. belli, famis, peſtis, &c. Non incongrue hic allegamus illam, qvam Baronius Tom.X. ann.850. col.75. è Chronico Sigeberti de famelico (nobili de Grabfelden) Thuringiæ hiſtoriam recenſet, cui de interficiendo puero deliberanti divinitus ſubminiſtratus fuit cibus. V.L. de Prov. DEI.

§. 18. *Civitatem ſuam prius examinat, quam executioni tradit DEus.* Mediam per civitatem tranſire jubetur Notarius. Id qvod piis ſolatio cedit, DEum non obliviſci ſuorum, ſed ante omnia eos ſignare, ne promiſcue lædantur, aut in manus hoſtium incidant. Nec plagam immittit, niſi viderit, qvod & qvos juſtos inibi habeat Gen. 18, 23. ſeq. Imo ſi in tota Pentapoli decem juſtos inveniſſet, toti pepercisset. Inde Ambroſius: *Diſcimus*, ait, *qvantus murus ſit patriæ vir juſtus, qvemadmodum non debeamus invidere viris ſanctis, nec temere derogare. Illorum enim fides nos ſervat, illorum juſtitia ab excidio defendit: Sodoma qvoq; ſi habuiſſet viros decem juſtos, potuit non perire.* Idem docet in h. l. Chryſoſt. homil. 42. *qvanto in pretio haberi debeant juſti, etiamſi exterius viles & pauperes, cum propter eos DEus urbibus & provinciis ſceleratis parcat.* Talis fuit David 2. Reg. 19, 34. Elias &c.

§.19. *Ubi ubi lateas, ſive in medio, ſive in extremis civitatis, novit Dominus, an ſis inter ſuos.* Novit DEus, qvi ſui 2. Tim. 2. Hoc eſt, (ut habet Theophyla-

phylacti explicatio p.591.) *A DEO sunt præcogniti, ut qui omnino ad eum pertineant atq; elati sint, ut ne pervertantur cum marcidioribus atq; putridioribus.* Vel, ut Osiander: *Hoc est immotum fundamentum apud DEum, & est instar sigilli, quo literæ aut diplomata confirmantur: qvod videlicet Dominus illos omnes optime novit, attentissime observat, & clementissime tuetur, quos ad vitam æternam prædestinavit.* V. Loc. de Prædestin.

§. 20. *Sed adhuc specialior est signationis gratia.* Ea enim indicatur limitatio gratiosa, qva pii qvasi securi locantur ab invasione hostica. Sit calamitas sive spiritualis sive corporalis, signat Deus suos signo salutis, ne anima, neve corpus pereat. Vid. parœmialem locutionem Ps. 34, 21. qvod ne ossa qvidem justi frangi debeant. Ps. 91, 12. nec pes allidi, nec pilus lædi dicatur Matth. 10, 30. h. e. DEO inscio aut invito vel citra saluberrimam intentionem, ne ulla qvidem piis eveniet læsio.

§. 21. *Externa autem figura non opus habet Altissimus, ut notet, qvi sint interne sui.* Si enim cordis latebras cognoscit, cur frontes signaret? Ergo qvæ in visione occurrunt, pro modo visionis exponenda sunt, non ut figuram materialem qværamus, sed ut intentionem potius divinam de notitia suorum practica apprehendamus.

§. 22. *Ergo signum crucis non tam materialiter, qvam formaliter virtutem in fide exerit.* Dico in fide, qvid omnis actio sine fide? Non negamus, imo ipsi observamus, qvod S. Patres olim observarunt, Christianos in omnium rerum aggressione & inchoatione boni ominis causa crucis signo manu vel primoribus digitis formato se munivisse. Allegat hoc Rittersh. Sacr. Lect. l. 5. c. 14. p. 99. Tertulliani, Hieronymi, Chrysostomi, Eusebii, Lactantii testimonia. Et notum ex illustri Porta mihi remansit illud Prudentii hymn. 6. Cathem.

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumq; cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen.
Fugiunt crucem tenebræ.

Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
O tortuose serpens
Discede, Christus hic est,
Signum qvod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.

Sed cavendæ sunt cogitationes de opere operato, ne putemus ipsam crucis figuram tantum valere qvasi vi qvadam Magica. Fidem adesse oportet, innitentem merito Christi, qva si qvis destitutus sit, mille

eum cruces non satis adversus satanam muniverint. V. de hac ceremonia Hospin. de templ. l. c. 2. 20. p. 302. Arnd. Lex. antiq. p. 286.

§. 23. *Abominamur idcirco abusum crucis Papisticum.* Qvo de in ipso Ascemate Bellarmini, Costeri, Stapletoni verba & sensa attulimus. Similiter non tam Christi, qvam crucis virtuti tribuit Baronius Tom. XII. A. 1101. col. 23. Victorias in secunda Expeditione Hierosolymitana obtentas liberationem Joppæ. It. A. 1105. victoriam Balduini I. & secundi A. 1120. cum tamen A. 1187. Crux Christi cum Balduino à Saracenis in prælio capta fuerit, ex qvo colligere debuerat, crucis in se nullam esse virtutem, nisi crucifixi gratiam habeamus. Nos ergo separamus abusum à vero usu, & dicimus: Signum crucis retinemus, qvod veteribus compendium fuerit precum, & Christi mortem itentidem in memoriam nobis revocet. Krom Artic 19. th. 8. p. 1091. contra Calvinian. p. 1096. de ligno crucis an sit venerabile V. Amesii Bellarminum enervatum Tom. 2. l. 6. c. 6. p. 248. item de imagine crucis, cujus cultum Pontificii probare amant ex Matth. 24, 30. & Conciliis p. 249. nec non de signo crucis digito expresso p. 250. seqq.

§. 24. *Signo qvocunq; salutis obsignantur pii.* i. e. qvam modo salutem desiderent, sive animæ sive corporis salutis signum habent in promissionibus spiritualibus & terrenis. Et, in iis qvæ animam spectant, qvid aliud sunt sacramenta, nisi salutis signa? eaq; non tantum σημαντικὰ, sed maxime δοτικά? V. Loc. de Sacram.

§. 25. *Utinam suspirarent Christiani super abominationibus cunctis!* Abominationi sunt Deo impiorum sacrificia Gen. 4, 5. Prov. 15, 8. Avertat De9, ne cultus noster, in similem notam incurrat. Qvo minus enim suspiramus super abominandis peccatis, tanto minus pœnitentia nostra sibi, ut decet, constabit. Cogitent pii, annon hodie cū Polycarpo ex Euseb. Hist. Eccl. l. 5. c. 18. dicendum? Bone Deus, in qvæ tempora me servasti!

§. 26. *At vero quam pauci sunt lugentium!* Lætamur potius securi, nec mala ulla metuimus. Gerhardus: *Quid juvat in momento gaudere, si in æternum cogaris lugere? Qvæ possit esse in hac vita lætitia si transit, quod delectat, non autem transit, qvod cruciat. Securi vivimus, qvasi horam mortis & judicii transierimus.* Medit. 29.

§. 27. *En abominationes cunctas civitatis suæ annotat divina omniscientia! Videt* idola Zelotypiæ i. e. peccata, qvæ ipsum ad Zelum provocant; *videt*

det reptilia & stercorea numina i.e. impura cogitata perseverantium in impietate; *videt* atria profanata i.e. contemtum verbi & cultus sui. *Videt* scandala Primatum. *Videt* nefanda muliebria. *Videt* aversam populi sui faciem. Qvæ singula qvomodo non fastidiret? non detestaretur? non ulcisceretur?

§.28. *Omnium vero maxima in divinis oculis abominatio est idololatria*, scelus qvo populus Israeliticus olim irritavit DEum suum & Dominum suum. *Hujus enim gratia*, ut Lutherus loqvitur Catech. Maj. p. 411. F.C. *cum gentes tum Judæos, sicut adhuc hodie omnem falsum cultum evertit, ut plane omnibus in ea permanentibus succumbendum sit*. Sciendum autem (ex ejusd. Theandr. Tom. 1 Jen. Lat. fol. 122.) *quod idolatriæ duo sint genera, alterum exterius, alterum interius. Exterius*, qvo homo lignum, lapidem, bestias, stellas adorat, ut notum est ex V.T. & libris gentium. Hoc procedebat ex interiori. *Interius*, qvo homo vel timore pœnæ, vel amore commodi affectus foris qvidem omittit cultum creaturæ, sed intus manet amor & fiducia in creaturam. Qvæ enim est religio, non flectere genua divitiis & honoribus, & tamen cor ac mentem nobilissimam sui partem illis offerre? Similia habet Hieronymus Tom. 1 Op. Epist. ad Heliodor f. 1. 6. *Non est in eo tantum servitus idoli, si quis duobus digitulis thura in bustum aræ jaciat, aut haustum pateræ poculo fundat merum. Neget avaritiam esse idololatriam, qvi potest triginta argenteis dominum venditum appellare justitiam. Neget sacrilegium in libidine, sed is, qvi membra Christi & hostiam vivam placentem Deo cum publicarum libidinum victimis nefaria colluvione violavit*. V.L. de idololatria, f. primo præc.

§.29. *Idololatris unum idolum non sufficit*. Peccata peccatis cumulantur. Cor semper nova impietate obruitur. Scandala crescendo firmas agunt radices. Catalogum idolorum juxta Alphabeti seriem congessit Feugernek. in Enchirid. p. 321. Nullum fere apud gentes vicinas idolum extitit, cujus Israelitæ basiatores non extiterint. Tanta fuit erga benefactorem summum ingratitudo! Cæterum de multifariis idolorum nominibus in scriptura memoratis V. Aret. probl. part. 2. p. 211. 212. 213. Aliis inpræsentiarum supersedemus.

§.30. *In summa tamen tot ac tantarum abominationum colluvie, sanctæ remanent reliqviæ electorum, qui nulla idolis genua flectunt*. Probat id Eliæ Historia 1. Reg. 19, 18. Nam qvamvis omnia propemodum in regno idolo-

 latri-

latrico sint corrupta & depravata, nihilominus Deus ubiq; suos habet, qvi etsi non videntur ab aliis, ei probe sunt cogniti. Invehitur h.l.P. Martyr. in Nicodemitas nostrorum temporum in Papatu degentes fol.158. V. Loc. de Ecclesiæ perpetuitate. Qvadrat huc illud in Chil. Ad. Eras. p.53. ἀρίγνωτος σμάραγδος ἐν μέσῳ τῶν φαύλ σκολειῆς.

§.31. *Gratia DEI semper præcedit justitiam.* Sicut hoc loco dicitur: Gehet diesem nach. Vindices jubentur seqvi Notarium. V. Hieron. Tom.2. fol.182. in Regul. Monach. de misericordia DEI & pœnitentia nostra. Utinam & præcedentem gratiam nostra seqveretur pœnitentia! *Gratiæ DEI agnitio animo superbiam non admittit.* Cyprianus p. 441. de Tentationibus & jejunio.

§.32. *Contemtum gratiæ excipit vindictæ impetus.* De ira aut biliosa affectione in homine agit alioqvin Qvercetanus in diætet. Polyhistor. Sect.1.c.6.p.29. Non in Deo, sed extra DEum, ab homine in DEum, tendit biliosa affectio. Affectus in DEum non cadit. Homo autem ita afficit DEum, ut ad effectum iræ ostendendum provocetur. Conf. Proverb.30,33. & Zehn. adag.90. Cent.1.p.219.

§.33. *DEO ad iram provocato, varii, iiq; graves insurgunt percussionis modi.* Audis in Exegesi textus de percussione per aqvas diluvii, per cædes, per vestem, per ventos, per famem, &c. Man fühlts/ wenn GOtt zuschlägt. Compensat tarditatem gravitate. Magna est lenitas Dei, qvando parva peccata cito punit. V. Franz. de Interpr. S. p.387. Contra Os.4, 14. non vult visitare peccantes, sed differt, ut in totum propter nimiam atrocitatem corruant.

§.34. *Imo furor grassatur à senibus usq; ad pueros.* De crudelitate, qvam, qvalem, qvantã, hostes exercent, testantur exempla Amaziæ vincentis Edomitas 2.Chron.25. Antiochi oppugnantis Hierosolymam 2.Maccab.5,13. Nec observatur in ejusmodi grassatione Articulus Maximil. II. A.1570. Spiræ factus: Es sol keiner alte erlebte Leute/ Priester/ Prediger oder Weibesbilder/ die auff keiner Wehr gefunden; desgleichen keine unmündige Kinder zu todt schlagen/ bey Straffe Leibes und Lebens/ ꝛc. Da fragt man nicht nach Erbarkeit/ ꝛc. Serio crudelitatem vetare debent hi, qvi inutiliter fusi sangvinis rationem reddituri sunt ei, cujus vice gladium gerunt.

§.35. *In specie nec senum habetur respectus.* Cujus alias veneranda est caniti-

nities, pietas & experientia. Lev.19,32. Prov.16,31. Sap.4,8.1.Tim.5,1. Tit.2,2. Et nota est lex Cœrum ap. Ælian l.3.c.37.p.67. Christianis merito exosa. Ast utinam Christiani milites christianæ legis, ne toties obliti senum miseriam cumularent!

§.36. *Peculiaris etiam pœna est adolescentia.* Videmus enim selectissimam juventutem, captivari, abduci & sordidis sæpe officiis destinari, licet vel maxime vitæ gratiam nacti fuerint. Conf. Thren.1,18.c.5,13. ubi vulgata: Adolescentibus impudice abusi sunt. Chald. Vatablus, Pagninus: juvenes ad molendum tulerunt. i.e. ad rem vilissimam, ad molas agitandas, juvenes qvasi viribus valentes applicuerunt, ita ut virgis & baculis usqve ad sangvinem & mortem percuterentur.

§.37. *Ipsæ virgines prostituuntur.* Virginum jura prolixe pertractavit Kornmannus de jure virg. c.9. de pœna raptus p.148. stupri p.143. & simil. Verum hic nulla est observatio juris. Nec magni æstimantur ejusmodi scelera piis vel auditu horrenda V. de virginibus sqvalidis Thren.1,4. Corn. à Lap. p 841. Conf. Es.3,24.

§.38. *Nec parvulis parcunt isti sangvini sugæ.* DEus respiciebat olim ad Ninivitas, parvulorum conditione affectus Jon.4. Nihil divinum, nihil pium, nihil christianum est in barbaro hoste. Cardanus l.2. c.14. p. 266. docet inter alia, hominem posse per filios felicem evadere. Enimvero & infelices hoc casu redduntur Parentes.

§.39. *Væ qvoq; mulierum conditioni!* V. Thren.5,11. de miseria matronarum Longobardicarum olim sub Friderico Imp. & Germanis qveritur Baron. T.12. ann.1164. col.525. ex Actis Alexandri Rom. Pontif.

§.40. *Impune bellicus furor occisioni vacat.* Jesuitæ homicidia inter peccata mortalia nolunt numerare V. Pelarg. Jesuitism. p.56. Cui cordi est peccati metus, qvando tot cædes in bellis patrantur? Non dico de profusione sangvinis in acie & congressu cum hoste, sed de processu sangvinario cum innocentibus.

§.41. *DEus tamen limitat grassantem hostem.* Ne accedatis ad eum, qvem signatum videtis. Adhuc pii signantur salutis signo, qvemadmodum supra diximus. §. 20. Illic ponetur elatio fluctuum Job.38.11. *Qvemadmodum aliqvis eqvum ferocientem injecto freno coercet & inflectit, sicut aliqvis ligatur, ut neqveat ire, qvo vult, sicut DEus pelago repagula posuit. &c.* V. Lavater in Job. homil.12.4.p.223.

§.42. Et-

§.42. Etsi nec sanctuario suo parcat
incipi, Solatio tamen piis cedit, sanctuariu
leri, vocatur enim adhuc Sanctuarium DI
Gratiæ suæ DEUS æternum memor. (
goris divini hoc argumentum est: Si
qvæ tandem erit civitatis ipsius impi
sanctuario DEI serviunt, ne ipsi atria
rum non negare potest Altissimus b
à sanctuario jubet incipere, & sanc
Qvo fine & nos pro fine voti nostri in
ne, attende, & fac, ne moreris propt
nomen tuum invocatum est super

Dan 9,18. *A*

F I N

...io parcat DEus, sed ut plurimum ab illo jubeat ... sanctuarii nomen in media calamitate non de... ...arium DEI, licet hostibus ad tempus traditum. ...memor. Conf. 1. Petr. 4, 17. Eqvidem ri...m est: Si sanctuarium DEI ita tractatur, ...sius impiæ fortuna? Et monentur hic, qvi ... ipsi atria Altissimi peccatis polluant. Ve...cissimus benignitatis suæ Speciem, dum ..., & sanctuarii nomen retinet appellare. ...i nostri ingemiscimus; *Age placare Domi... ...reris propter temet ipsum DEus meus: qvia ...n est super civitatem & populum tuum* ...an 9, 18. Amen.

...I N I S.